DISCURSUS JURIS PUBLICI, DE AUGUSTISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ JURIBUS AC PRÆEMINENTIA.

QUEM
CONSENSU MAGNIFICI AC NOBILISS. JCTOR. ORD.
IN ILLUSTRI AD SALAM UNIVERSITATE
SUB ARBITRIO
EJUSDEM h. t. RECTORIS MAGNIFICI
VIRI
NOBILISS. CONSULTISS. AC EXCELLENTISSIMI
DN. CHRISTOPHORI
PHILIPPI Richters/ JCti, Com. P. Cæſ.
ac Decretal. P.P. Celeberrimi, Conſiliarii Saxon. meritiſſ.
Præſidis JCtorum Ordinis Graviſſimi, Curiæ Provincialis
ac Scabinatus Aſſeſſoris Primarii,
Dn. Patroni ac Promotoris ſui, ea, quâ par eſt,
pietate ævùm devenerandi,
In Auditorio JCtorum horis conſvetis
ad d.   Auguſti
Placidæ Eruditorum diſquiſitioni
P. P.
Sigmund Maximilian Räid.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

Juſt. Lipſ. Lib. I. diſc. 15. manud. ad Stoic. Philoſophiam.
Satis triumphat veritas, ſi apud paucos bonosque accepta;
nec indoles ejus eſt, placere multis.

JENÆ, Literis SAMUELIS KREBSII, Anno 1666.

DISSERTATIONIS JURISPUBLICI

DE

AUGUSTISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ JURIBUS AC PRÆ-EMINENTIA.

CAP. I.

Auſtriacæ Domus Ortum indagat.

ARGUMENTUM.

1. Primam Auſtriacorum Originem exhibere vix admittit Gentis antiquitas. 2. A Francis tamen ortum & denominationem trahere eſt veriſimilius. 3. Ab his ad Auſtriacos Imperium propagavit Victor Carolus M. 4. Modus translationis tractatur remiſſive: annexa Qſt. d. Vicariis.

§. I.

AUguſtiſſimam Domum Auſtriacam natales ſuos debere illuſtri proſapiæ Habſpurgicæ, in vulgus abiit; primam autem huj9 originem ex immotis repetere principiis, vetat abſtruſa vetuſtas, intricatam reddit prolixa ſtemmatis [a] ſeries. Habſpurgicam enim familiam, extitiſſe diu ante tempora Comitis Habſpurgici Imperatoris, hujus ſtirpis & nominis I. tot loqvuntur ab iſtius lineæ principibus extructa oppida, ditata monaſteria, munitæ arces: quot tum ex veteribus tum recentioribus fide dignis Autoribus b conſcripta perſpicies. Apud Helvetios imprimis, horumque vicinos v.g. Alemannos (qui tum paſſim ibidem rerum potiti) agros pene multos, non ſolum jam poſſediſſe ſed & è Vete-

a *De hac Vid. Nobil. & Conſultiſſ. D. Nic. Rittershuſius, Patronus meus Venerandus, in Tab. Genealogic. Lit. A. add. Gerard. d. Roo L. 1. hiſt. Auſt p. 1. it. Anonym. d. Gente Auſtriac. c. 3.*

b *Vid. Nauclerus Onuphrius. J. Stabius. Jac. Manlius J. Trithemius. VV Lazius.*

ribus Alemannorum proceribus prognatos fere Habſpurgicos eſſe, ac continuatâ huc usque poſſesſione, ſuam familiam per germanos in Auſtriacos noſtros propagaſſe, non abs re colligunt dicti Autores: &, qui poſt longam peregrinationem ac diligentem Locorum perluſtrationem omnes fere ſuperat VVolfgangus Lazius. [c] Hic enim Eximius Ferdinandi & Maximil. II. Medicus ac Hiſtoricus, argumentis non contemnendis, ex inſignibus & nominibus (quæ cum priſcis Auſtraſiæ Regibus habebant communia) gentilitiis, compertum facit, iſtos eſſe ortos à Francis; Francos autem antiquos, non alios fuiſſe quam germanos Auſtraſiæ Reges, præter alios luculenter teſtatur Cluverius. [d] Hanc Auſtriacorum familiam priusquam uberius deducamus, e re erit, quæ in rem præſentem facit, ipſam Auſtriæ originem penitius inſpicere, de qua ſic ſentimus.

[c] VVolfgang Lazius d. Migrationib. pop. junct. Ladisl. Sundhemio.

[d] Philip. Cluverig. Introd. in univerſ. Geograph. L. 3. c. 3. §. 5. ibiq; Buno in notis. p. m. 188.

II. Franci olim cum ejectis Galliâ Romanis ſuos regni (quod latisſimè à Pyrenæis usque ad Hungariam patuit) fines cenſerent ſtabiliendos, in duas id diviſere partes, & eam quæ inter Rhenũ & Moſam interjacet, gentilitia voce Oeſterreich Ooſtenrich, ſeu regnum orientale vocabant: quæ vero verſus mediterranea galliæ ſe flectebat, uti Gallia Celtica, Weſtenrich vel Neuſtriam, (quæ regnum occidentale & novum denotat,) appellabant. Iſtos voces linguæ latinæ ignari forte ſucceſſores & ſcriptores, nova regnorum nomina, in ſermonem novum detorquentes, ſicut ex VVeſtenrich, ſemilatina voce fecerunt Weſtraſia vel Neutraſia ſeu Neuſtrea: (ex Neürich quod nobis novum ſonat, ita ex Ooſtenrich fecere Auſtraſia ſeu Auſtria. Vocem enim Ooſt ab antiquis Germanis, non ab Auſtro, ſed per diphthongum Auſt/ fuiſſe pronunciatam veriſimile eſt, [e] cui adjecerunt illi homines terminationem latinam, & pro auſtenrich dixerunt Auſtria ſive Auſtraſia. Hocce dein regio Francorum ſtemmate in Galliis extincto, ſuccesſit nova ſtirps Caroli M. quo factum eſt, ut diviſo inter filios imperio, diſtractum etiam in partes Auſtraſiæ gallicæ regnum fuerit, quippe Lotharius natu ſecundus Ludovici Pii nepos, acceptam Auſtraſiæ partem à ſuo nomine Lothrich (unde forſan hodierna Lotharingia dicitur) vocavit;

[e] Vid. Cl. Dn. Conringius de O. J. c. 8. p. m. 36.

vit;

vit; Auſtraſiâ quidem gallicâ, ſic etiam magnam partem obliteratâ. Quoniam tamen non modo jam olim minor Ooſtenrichiæ pars Hunnis vicina, Marca Orientalis fuit dicta, ſed & hodienum Auſtria verſus Orientem habet Hungariam; qua ratione à Carolo M. ad noſtra usque tempora Ooſtenrichia ſit denominata, porro eſt inquirendum.

III. Igitur Carolus M. devictis Hunnis Avaribus ſive gente quadam Scythica, [f] qui pulſis Romanis, occupata majori ea parte, quæ Arnulphi tempore dicta fuit Pannonia, novum de ſuo nomine ibi regnum condiderunt, & hac ipſa ſuperiori Pannoniæ parte eosdem exuit, & quia minor hæc pars Hunnis vicina, marca ſive limes orientalis erat, habita (veteri Francorum more) ſitus mundi ratione, hanc potius Ooſtenmarck aut Oſtenrich ſive regnum orientale itidem vocari voluit. Licet a. Caroli M. (quem ulteriora meditantem mors prævenerat) ſucceſſorum, poſtea ſubſiſteret quidem Cupido, in occupanda univerſa Pannonia: non item tamen libido Hunnorum in recuperanda etiam Vicina oſtenrichia, quippe, qvod ſub Arnolpho Cæſare prima Hungarorum audita ſunt arma: & nova hæc Hunnorum manus in vicinas regiones commigravit, & in proximam Pannoniam, fertiliſſimam germaniæ partem, miſere ſævire non deſtitit, donec referente ipſo Aventino [g] & Bonfinio ſuo malo edocta, audacis protérviæ pœnas dedit & litem pendentem, ad patrum usque noſtrorum memoriam glorioſe demum compoſuerit Maximilianus Imperator, ut adeoque hoc ipſo, quod hodienum Hungaria dicitur, reliquo Pannoniæ regno contenta, quæſitam Imperatoribus ceſſerit Ooſtenrichiam. Hanc a. vocem germanicam, ut fictitiâ latina Auſtriæ ſive Auſtraſiæ exprimerent, Veterumne populorum in Terras haſce delatorum lingvæ vitio; an ſuperiorum tum viventium permiſſu ſit factum, haud conſtat. Nobis hodienum rectius dicitur Oſterrichia quam Auſtria, [h] quod non tam ab Auſtro (cui minus eſt obnoxia) quam ab Euro verſus quem ſita proprie videtur, ortum trahat. Eurus enim eſt, qui germanis dicitur per Oſtwind. Veteres autẽ pro Ooſt per diphthongum pronunciaſſe Auſt ſupra monuimus. Ut ſic pro veterum Oſtenrich ab Euro

[f] *Vid. Cl. Conringius Tr. d. Finib. Imp. c. 17.*

[g] *Aventinus Lib. 5. p. 512. Ant. Bonfinius L. 10. dec. 1. junct. Conring. d. F. J. c. 17. per Tot.*

[h] *Conring. d. c. 17. p m. 176. & c. 3. p. 33. junct. c. 8. p. 36. d. O. J.*

german.

german. Oſt/ & regno ſive provincia ein Reich euphoniæ gratia dicamus Oeſterreich. Licet uſu, (qui in nominibus præſertim & rerum appellationibus maximus eſſe noſcitur Tyrannus) ſic exigente, corrupte etiamnum ſemilatina voce hanc nominemus Auſtriam adeoque verbis receptis ac præſentibus aſtrictos nos eſſe deprehendamus.

IV. Cæterum ut à verborum proprietate ad rem ipſam accedamus propius, ſicut dictis populis virtute bellica ſubactis antequam a morte ſuperaretur ipſe Carolus M. imperium ille in Ludovicos, Lotharios, Conrados, Henricos, Ottones, Fridericos & alios propagavit: ita ſimul circa A. Ch. nongenteſimum quinquageſimum florere cæpit familia Habſpurgica, quæ an ab habendo germ. Haben / & arce ein Burg/ qualem à majoribus ſibi relictam occuparint, ſit dicta Habſpurg, an aliunde denominata haud certo conſtat. Id vero notatu dignum eſt, quod poſt notabile interregnum XIX annorum vacantis imperii periculum tandem ſuſtulerit ſucceſſor & primus gloriæ Auſtriacæ Atlas Rudolphus comes Habspurgicus, hujus nominis & ſtirpis Imperator I. legitime creatus: qui adeo in Albertos, Fridericos, Maximilianos, ac Ferdinandos, auſtriacos: feliciter imperii faſces transtulit, ut interrupta quaſi ſerie ad Leopoldum noſtrum glorioſiſſim. hucusque devenerit. Qua id à ratione & fortuna acciderit, apertius delineare operæ quidem pretium eſſet, modo & noſtri inſtituti. Ne enim, more ſeculi, extra oleas vagemur, ad Scopum (qui hic non eſt ſcribere commentarium, ſed diſſertationem) tendimus: Et quamvis etiam ex accurata Succesſionis deſcriptione, ſuam venari lucem poſſet noſtra Auſtriacorum Eminentia: quoniam tamen hæc maximam partem ſunt hiſtorica: nec me fugit, quam facilis ſit lapſus nimiam in genealogiis vetuſtatem ſequi, adde, quod continuatam hanc operam anteverterint [i] alii, idcirco malumus exinde ſententiam noſtram confirmari, eove L.B. remittere: quam ſupervacaneis ambagibus pagellas has onerare. Videantur hac de re præter alios quoad familiæ Habſpurgicæ ortum ab A. O. R. DCCCCL. Dn. Limnæus. junct.

[i] *Vid. allegati ſupr. ju pr. §. 1. h. Cap.*

k junct. Autore Diſp. de Succeſſ. & Electione in imperio Rom-germanico, ubi à Carol. M. usque ad Rudolph. I. Habſpurgic. tantum, ſucceſſio Imperatoria deſcribitur. A Rudolpho autem I. usq; ad modernum nimirum Leopoldum glorioſum, non minus quam à primis Cæſarum temporibus curate rem omnem repetiit Cl. A. Rupertus eumque ſecutus noviſſime Dn. D. Strin, [l] qui omnium æq; Cæſarum Genealogiam Nomotheſiam & politiam ſuccincte ac perſpicue cum Autoribus ſuis congeſſit, quibus adde Linkerum & alios. Nos ut ad ulteriora hic viam muniamus, ex hactenus allatis id unum inter alia notatu digniora obſervamus circa interregna: quod ſc. horum vices, Septima jam vice ab eo tempore, quo ad Auſtriacos Imperium devenit, experti ſimus, & præſertim in illo quod Rudolphum Habſpurgicum præceſſit XIX. annorum interregno, ubi quemadmodum nullus uſpiam angulus fere fuit tranquillus: [m] ita etiamnum multa contra imperii dignitatem deprehenduntur, ſi liberius interveniant interregna, quæ vel ob ſola incommoda [n] præcaveri potius, quam admitti debent. His E. malis obviare cupiens Carol. IV. Imp. prudenter conſtituit Vicarios Imperii vacantis, Electorem Saxoniæ & Palatinũ Rheni, qui æquatâ poteſtate præſint. **An vero eò ſe extendat hæc poteſtas, ut omnia generaliter poſſint vicarii iſti, quæ alias Imperator in imperio?** occaſione interregnorum non minus convenienter, quam intricate hic controverti ſolet [o] à Doctoribus. Pro Negativa allegant Tx. A. B. in c. 5. ubi reſtricta hæc eſſe poteſtas videtur, dum præſcribitur quousq; & quatenus duret vicariatus: excipiuntur item quædam: quædam conceſſa plane non leguntur; omnis autem poteſtas ex mente legislatoris dependeat, qui ſi omnia indulgere voluiſſet, ſpeciali enumeratione & limitatione opus non fuiſſet. Unde colligunt Vicarios nec [p] majeſtatem habere Cæſaream, ſed mandatum modo ſpeciale aliquod. Qui vero pro Affirmativa militant, vid. ap. [q] Buxtorfium. Sicut & de Juribus aliis & vicariorum muniis vid. plur. Dd. alii. Nos pro inſtituti ratione ſalvo cujusque jure,

rem

k Joh. Limn. L. 5 J. Publ. cap 2. it. Diſp. habita 1664. ſub D. Bechmann. Reſp. C. H.

l Adam Rupertus in Obſ. Hiſtoric. ad Synopſ. Beſol. c. 14. 17. 18 p. 695. junct. Nomotheſia rom-german. D. G Ch. Stirn. it. Th. Linker. in Theatro hiſtor. Polit.

m Vid. Chronic. Peucer. lib. 5. junct. Cuſpiniano in Richard. & Alphonſ.

n Vid. Beſoldus de Succeſſ. regnor. L. 3. Diſſ. 4. n. 1. Dn. Carpzov. ad L. reg. c. XI. ibique alleg.

Q

o Vid. Limnæus in annot. ad Capit. Carol. V. A 3. n. 18. add. Buxtorf. ad A. B. C. 70.

p Vid. H. Hermes Faſcic. J. publ. 20. 23. 374.

q Vid. Buxt. loc. cit. ibique Schüz P. r. J publ. Diſp. 12. lit. 4. add. alleg. ap. Carpz ad L. reg c. XI. Sect. 12. 13. ſeq.

rem totam voto conficimus, &, ne videlicet Vicariatu opus ſit, perennantes Leopoldo noſtro precamur Aquilas.

CAP. II.

Imperatoriam Dignitatem celebrat.

ARGUMENTUM.

1. Eminentiam Auſtriacorum commendat dignitas Imperatoria. 2. Ejus uberior deſcriptio circa quam. 3. Q. An ſolus Imperator habeat majeſtatem. 4. Eam conſequendi modus eſt Electio, Imperatore vivo etiam recte inſtituta. Hanc 5. augent jura Regis Rom. quæ eluceſcunt ex annexis Quæſtionibus.

§. I.

RECto jam tramite, nos ordo ducit ad ſingulare PræEminentiæ auſtriacæ argumentum, Dignitatem Imperatoriam: quam cum ſummo Lipſio, [a] inter res admirandas merito referimus, quod eadem hactenus noſtro Imperio, tot Imperatores dederit, quot nunquam ex alia, eosque ſecundum ſangvinis & natalium ſeriem, ſine omni adoptionis fulcro! Quid in omni retro Principum claſſe ſimile? Duo, Tres in una domo: & vix fuerunt; in prima ipſa Julii, nec ultra ſextum etiam adoptio prorogavit. Noſtra vero Germania eſt, & in ea Auſtria noſtra eſt, quæ faſces imperii laudabiliter quæſitos, [b] feliciter geſtos & continua ſerie transmiſſos exhibuit in familiæ ſuæ ſucceſſoribus ac XV. Imperatoribus, [c] Piis, Clementiſſimis, Pacificis. Nec actum agere & decumanis laudibus, horum memoriam revocare potius, quam celebrare videamur, initium faciemus à glorioſiſſimo noſtro Imperatore moderno, cujus vel unica majeſtas, uberrimum ad deprædicandam auſtriacorum Eminentiam, campum nobis aperit. Ad eum vero priusquam accedamus, placet parumper hic ſubſiſtere, & quem veneramur hodienum in Auſtria Imperatorem, cum Dno Limnæo [d] deſcribere: Quod ſit perſona habilis ad capeſſenda Imperii regimenta, ex illuſtri

[a] *J. Lipſius d. magnitud. Rom. p. 5.*

[b] *Vid. Tract. D. Michael. Praun. junior. ſub Titul.* Was hat Oeſterreich bey Teutſchland gethan?

[c] *H. Hermes Faſcic. J. Publ. c. 28. n. 4. p. m. 466. ubi ſinguli recenſentur.*

[d] *Lib. 2. Jur. Publ. cap. 2. ibique Dd. paſſim.*

ſtri familia Germanorum orta, ab Electoribus ſecundum Leges fundamentales electa, ut Reip. Rom-germanicæ tanquã caput & adminiſtrator legitime præſit. Vis ut explanem apertius: Eſt videlicet Iſte.

§. II. LEOPOLDUS noſter Sacratiſſimus. Imperator hujus nominis primus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaticæ & Sclavoniæ Rex; Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Luxenburgæ, ſuperioris ac inferioris Sileſiæ, Würtenbergæ & Teccæ; Princeps Sveviæ: Marchio, S. R. Imperii, Burgoviæ, Moraviæ: ſuperioris & inferioris Luſatiæ; Comes principali dignitate Habspurgi, Tyrolis, Pfirdæ, Kyburgi, & Goritiæ; Landgravius Alſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ Portus Naonis & Salinarum ſupremus Dominus noſter Glorioſiſſimus &c. &c. &c. Quæ omnia virtutum & potentiæ alogia cum majora ſint & illuſtriora, quam ut dubia reddi à quoquam ſine piaculo poſſint, ac inſuper illuſtris J. publ. Doctor Dn. Limnæus [e] præ aliis pleraque conſignavit clarius, vix eſt ut ſoli lucem hic addam, niſi in quantum pro inſtituti ratione, uberius in ſequentibus deducenda iſtud poſtulaverit PræEminentia auſtriaca. Id igitur ex multis unum hic ſtatim memorabile reputabit poſteritas, [f] quod Ferdinandus III. glor. mem. hujus Parens, ex tribus dum viveret, ſingulis uxoribus, tres etiam reliquerit filios: & ex his tribus maximi parentis optimum filium ſucceſſorem Ferdin. IV. Sed & hoc, immani ac præmatura fatorum neceſſitate, ſublatum imperii Decus, novo quodam majeſtatis ſplendore redonatum, compenſavit divina Clementia in fratre germano, Leopoldo noſtro clementiſſimo, Orbi Chriſtiano, (A. O. R. 1640. d. 9. Jun.) nato, ex Maria Philipp. III. Hiſpaniarum reg. filia. In hunc unum cum faſcibus Imperii congeſſerunt adeo Dii diſperſa hactenus virtutum elogia, ut hæſites quidem majeſtatem tantam venererisne magis, quam admi-

[e] *Dn. Limnæus loc. cit. add. H. Hermes Faſc. J Publ. c. 6. usque ad XI.*

[f] *D. Stirn. in Nomoteſ. rom-germ. Tit. 12. §. 3. n. 2. in f. ibique alleg. Rupert. ad Beſold. c. 18. p. 718.*

admireris. Illos vero non eſt quod moreris, qui Vatiniano (quo ipſi ſic dignos ſe reddunt) in eminentiſſimam Domum auſtriacam odio, argumentis neſcio quibus, majeſtatem Imp. dilacerare non erubeſcunt. Nos autem cum non poſtremum inter imperatoriæ Eminentiæ ornamenta referamus hunc ſuæ Majeſtatis titulum, quid proinde de iſto habendum, ut eluceſcat, non inconvenienter forte hic quærimus. Videlicet

§. III. Annon ſolus Imperator noſter in Imperio habeat majeſtatem? Cujus Affirmativæ, ne in ſcopulos incidat, fundamentum ponimus primo in ipſa reip. noſtræ forma, quæ juxta ſaniorem omnium Dd. Sententiam cum ſit Monarchico g-Ariſtocratica, oppido patet exinde Imperatorem non modo Statibus præferri, ſed & ipſo imperio, ſuperiorem eſſe illius, (tanquam capitis uti vocatur h paſſim) autoritatem: eamque majeſtaticam vel ſoli characteres & reſervata edocent. Nec officit quicquid ariſtocratici imperii huic ſit admixtum, quippe quod non deſinat ſano ſenſu imperium eſſe ſummum, licet is qui imperaturus eſt, promittat aliqua ſubditis aut Deo, etiam talia, quæ ad imperii rationem pertineant? ceu more ſuo præclare hanc rem deducit incomparabilis Hug. i Grotius. Ut adeoque non ſit paradoxon pro reip. noſtræ norma & forma quædam majeſtatis jura communicari, & tamen penes communicantem, integram manere majeſtatem; id quod fieri in Imperatore noſtro eoq; ipſo imperio quandoque majorem eſſe ac vel hoc nomine ſolum majeſtate vera gaudere, potius probari porro poſſet cum D. Fibigio k Iſtâ colligendi ratione; In quemcunq; Principem, ab imperii Statibus poteſtas ita eſt tranſlata, ut quædam majeſtatis jura, Eidem ſoli, liberoque ejus ſint reſervata exercitio, reliqua vero licet certo modo ſint reſtricta, nihilominus tamen illius moderationi ſimul ſunt relicta: ejus certe perſona Imperio eſt major & ſic majeſtatica. Atqui Imperatoris noſtri ea eſt conditio. E. utraque propoſitio, cum ſua luce coruſcat, vix eſt quod probationis loco addi debeat amplius, præter unicum iſtud, collatam videlicet hoc modo imperatoriam

Q.

g Vid. Cluten. Syllog. rer. quotid. th. 16. Autor. Diſſ. de jure Principatg th. 10. Clapmayr. d. Arcã. rer. L. 3. c. 20. Beſold. Claſſ. 1. diſſ. 8. n. 5. Kekerman. Diſſ. pract. ult. Q. 12. VVurmſer. Exc. J. P. I. th. 9. ibique allegat. Heigius P. 1. Q. 2 Carpzov. ad L. reg. C. 13. §. 9 n. 14. Rumelinus ad A. B. Diſſ. 3. th. 18.

h *Vid.* R. A. *d. Ao. 1566. §.* demnach. *Verb.* zu erhalten. *Et Verb. final. ibi:* das Ober-Haupt des H. R. Reichs. *Add. D. Otto in Eleganti Tract. de Majeſtate C 3 § 5 jung. paſſim Reinking. d. R. S. & E. cum VVurmſer. l. c.*

i H. Grot. L. 1 de J. C. & P. c. 3. §. 16.

k Dn. D. Fibig. Semidec. J. P 7. Q. 4. junct. Reinking. d. R. S. & E. L. 1. Cl. 5.

peratori majeſtatem, manere unam eandemque perſonalem (exploſâ, quæ huic opponit realem*, dictinctione) ut ut enim hæc videatur limitata, modus tamen reſtringendi & ſeſe obligandi eſt inſpiciendus. Ita eo ipſò, quo Rex v.g. Galliæ, Daniæ, & alii juramentum præſtiterunt parlamentis ſuis aut ſtatibus, nunquam ſtatim majeſtate cenſentur deſtituti. Quin præterea illud non minus in rem præſentem facit, quod crimen læſæ Majeſtatis proprie dictum (non niſi) in Imperatorem committi, poſitum extra omnem dubitationis aleam ſit: & tamen majeſtatem ſolus an habeat, dubitare, quis niſi Domitianus vellet? Denique nec illud quidem eſt, ut decipi nos patiamur ambiguo nominis ſono, aut rerum externarum ſpecie, quaſi ſub majeſtate imperatoria nuda lateat Eminens quædam potentia aut dignitas: quippe quod alias haece ſuperior Imperator, ſemper vero ſuæ majeſtatis Titulo veneretur, etiam ab exteris; cum tamen ipſe ulli alii Eundem tribuere detrectet, ſibi vero viciſſim denegatum tanquam contra jura ſua nihilominus quam ægerrime ferat. Ita enim exemplo ſunt, quas prima fronte reſpuit, literæ in Comitiis Ratisbonens: Anno 1641. à Rege Daniæ ad Imperatorem datæ, ibi cum verba modo ſonarent Keyſerliche Würde: non fuit admiſſus Legatus, donec credentiales cum Titulo ſuæ Majeſtatis exhiberet. Plura in hanc rem, quæ eodem tempore agitata ſunt & contra Ludovicum XIII. Galliæ regem in comitiis dictis Ratisbon. refert Excellentiſſ. Dn. [l] Bechmannus. Stat Ergo ſententia, quâ tum ex hís, tum aliis rationibus, inter alios dignitatum Titulos, quos plur. Vid. ap. Dn. Limneum, [m] hanc vel maxime Imperatori ſoli aſſignamus, licet effecta & ſigna ſupremæ poteſtatis (pro Reip. ſcilic. noſtræ norma & forma) Illuſtriſſimis Imperii Statibus & ſic analogicam quandam majeſtatem cum Dn. Arumæo [n] p. m. ambabus manibus largiamur.

§. IV. Cæterum Dignitati huic Imperatoriæ adhæret & eandem conſequendi modus, qui cum juxta communem Politicorum [o] ſcholam, conſiſtat vel in ſucceſſione vel electione, utra harum ergo ſit præferenda, oppidò hic quæri poſſet?

e.g. Carpzov. Diſſ. Feud. 9. P. 5. Stirnius in Nomot. R. G. Tit. 13.

** Add Var. MSC. interg. ea Nobiliſſ. Dn. D. Cortrej. Doctoris mei honorandi prælection. J. P. ad Brautlacht. Lib. 1. c. 5. § 9 junct. L. 3 c. 2. § 2 ubi eleganter deducit majeſtatis naturam.*

l In Collegio Jur. publ. Brautlacht. l. 3. c. 2. L. 93. jung. H. Hermes in Facul. J. Publ. c. 3. p. 26.

m Limnæus, L. 2. J. P. c. 6. add. Stirn. Tit. 8. 9. 5. Pro noſtra ſententia faciunt D. & Arumæus in diſcurſ. J. Publ 7. pl. 74 Reinking. d. R. J. S. & E. p. 312. Otto. cum allegat. p. 207. Et diſcurſ. penult. ad A. B. th. 5. Paurmeiſt. d. Jdict. L. 2. c. 1. n. 9.

o Juſt. Lipſius. 2. Pol 4. num 5. D. Stirn. Nomotheſ. R. Germ. Tit. XI. §. 3. ibiq. allegat. Dan. Otto J. P. p. m. 211.

ſet? Sed res trita eſt, & quoniam Monarchiam noſtram temperas Ariſtocratia, vix operæ pretium videtur hiſce pagellas onerare. Videantur potius ipſi Politici; ex quorum fontibus, id unum nos hic hauſimus: quod ſucceſſio, ſi recepta mox in germanico fuiſſet Imperio, multa bella civilia, diſſenſiones & æmulationes multæ item incurſiones barbarorum non ita afflixiſſent Germaniam. [p] Hanc tamen ab illo malo, ut ad rem accedamus propius, poſthæc liberavit rurſus temperata cum Electione ſucceſſio, quæ optimo tandem fato translata quoque in domum Auſtriacam. Sic enim fiebat, ut familia hæcce demiſſa [q] è cœlo in terras, ad terrarum Imperia inter tot ſublimia ſceptra & diademata, quot in nulla ſtirpe reperies, particeps dignitatis etiam germanorum regiæ facta ſit: & deſtinatâ quidem, legitimâ, per electionem, ſucceſſione. Quis autem primum uſus ſit titulo regis Rom. forte non omni caret dubio; [r] Ob fidem hiſtoricam deficientem miſſis, quæ alii à Conrado deducunt, ea hic domum Auſtriacam concernentia, ſaltim attingam, quæ jubet Auguſtiſſima iſtius Eminentia. Hanc autem regiæ dignitatis participem primum deprehendo in MAXIMILIANO I. qui ut & FERDINANDUS I. MAXIMILIANUS II. RUDOLPHUS II. FERDINANDUS III. usque ad FERDINANDUM IV. plerique omnes Reges Romani ſunt electi, Vivo etiam num Imperatore. An igitur ita rectius, quam poſt mortem Imperatoris ſtatim eligatur Rex Romanorum, forte hic ſubdubitari poſſet, Rem hanc arduam cum pro more ſuo i. e. accurate ſatis & ſolide deduxerit Magnificus Strauchius [ſ] Vix eſt, quod addi hic poſſit amplius præter illud unicum, uſu videlicet & experimento eſſe comprobatum, urgentis neceſſitatis caſu, melius eſſe proſpectum reipublicæ noſtræ, ut ſub duplici quodammodo capite conſervetur, quam unico debilitato aut deficiente, usque tum diverſorum vota componantur, ex diſſenſionis materia, exterorum machinas & blanditias experiatur.

§. V. His ita poſitis, florentem ſic quoque Auſtriacorum Eminentiam confirmant porro Jura ſingulariter ex regia

[p] *Vid. D. Cruſij Tr. d. Præcedentiâ L. 4. c. 6. n. 20.*

[q] *Juſt. Lipſius d. magn. rom. p. 5.*

[r] *Vid Limn. L. 2. J. P. c. 1. n. 29. 51. n. 13.*

[ſ] *In Diſſertat. J. P. Exoter. X. th. 10. add Dan. Otto in J. P. c. 15. & allegat. ap. Stirn. Nomotheſ rom. germ. Tit. 8. §. 6.*

tegia hac dignitate Eidem propria, ex quibus præcipua, pro ratione inſtituti damus: quod abſente Imperatore non modo Caput Imperii perpetuum vocetur, ſed & eadem, quæ Imperatori fere plenitudo tribuatur. Hinc conſcribit comitia: Banno afficit & abſolvit: de feudis majoribus infeudat: Confirmat Academias, Creat Nobiles; Idem cum Imperatore agnoſcit tribunal, nec appellatur ab uno ad alterum: Sed proximus hic ab Imperatore locum tenens, eo defuncto, mox immediate ipſi in Imperio ſuccedit, uti ſingula ex Textibus allegatis expreſſe probant plur. [t] Doctores. Illud inter alia vocatur in dubium à quibusdam. **An Rex Roman. æq; ac Imperator Conſtitutiones Imperii generales condere poſſit?** Et verius eſt, quod ſuo modo, poſſit: Ita enim expreſſe nos docent inſertæ Receſſibus Imperii aliquot Sanctiones [u] Pragmaticæ, quas Maximil. I. ſub Titulo Regis Rom. dedit v. g. der Königliche Landfried. Idem fecit Ferdinand. I. uti patet ex Rec. Imp. (Auguſt. d. 1555. & Ratisbon. de Ao. 1557.) Accipienda autem hæc ſunt, uti diximus, ſuo [vv] modo, i. e. accedente etiam in ejusmodi Conſtitutionibus conſenſu & approbatione Statuum Imperii, ob reip. noſtræ formam. Quo inclinare aliàs videntur plerique diſſentientes. Circa ſingularem hanc Eminentiam, porro alii quærunt: **An etiam ex Roman. ſit præferendus aliis omnibus?** Affirmo. Tum ob jam allata, tum per ea, quæ inter alios tradit noviſſime Dn. Cruſius [x] contra Auberium Advocatum Pariſienſem, qui utut potentiſſimi hodienum Regis ſui eminentiam, pro virili evehere allaborarit: ab adducto tamen Autore, videtur rationibus victus, ad quas pro utraque parte ſufficiat hic provocaſſe. Sed unicum lubet quærere: **Annon poſſint extranei alii hanc Regis Roman. Dignitatem conſequi?** quæ diſquiſitio, licet videri poſſet vulgaris, vulgare tamen nihil ſecum trahit; ut verborum fiat compendium, malumus in communi Dd. Negativa acquieſcere, quam ſub jugo recenti, ingemiſcere pro veteri: memores illius, quod ſuppeditat exemplum Schönbornerus ubi ait: Uti, in quam domum Veſpil-

le-

[t] Vid. Reinking. d. R. S. & 1. L. 1. Cl. 3. c. 14. n 57. n. 48. 50. 51. 60. ſequ. ubi ſingula per Txx. plur. probantur.

Q.

[u] Vid. R. I. Auguſt. d. Ao 1555. it. Ratisbon. 1557. R. J. Spir. eod. Ann. Add. Limnæus ad art. 2. Capitul. Ferdin. I. p. 471. verb. auch für uns.

[vv] Vid. Carpzov. ad L. Reg. c. 11. ſect. 5. Stamler. d. Reſervat. Imp. §. fin. n. 3. Dan. Otto c. 15. p. m. 524.

Q.

[x] In Tract. Politic. Jurid. Hiſtoric. d. Jure [illegible] Lib. 3 c. 2. & 3. ubi vid.

Q.

[y] Vid. VVurmſer in Exercit. J. §. 1 th. 1. ibiq; allegati Dan. Otto in J. P. c. 15. & cap. 8. cum allegat. add. Dn. D. Cortrejus in prælect. privat. ad J. P.

Brautlacht L.2.c.1. §. 13. Schönborn. 2. Pol. 5. p. 130.

liones venerint, ſignum eſt funeris, ſic Reip. labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini. Singulari, quo digna omnino eſt ſtudio uberius illuſtrari poſſet hæc regis noſtri Eminentia & Electio: niſi antevertiſſet hanc operam [z] Autor Diſſertationis d. Elect. Reg. Rom. in Imperator. eveh. & præter inſtitutum noſtrum rem omnem tradant plur. Dd. paſſim, hinc ne à ſcopo aberremus, Auſtriacorum Eminentiam propagabimus.

z Vid. Diſſ. habitæ 1661. ſub Præſ. Dn. D. Bechmanni Reſp. G. Neumann. add. Limn. L. 2. J. P. c. 3. &c. It. ad Capitul. Impp. verb. Römiſcher König. *junct. D. Stern in Nomoteſ. d. Tit. 3. §. 5 T. 4. §. 5 T. 8. §. 6. Tit. 11. §. 14.*

CAP. III.

Archiducatûs Eminentiam demonſtrat.

ARGUMENTUM.

I. Origo dignitatis Archiducalis, quam à Rudolphi ætate in hunc diem usque nemo alius conſequi potuit. 2. Iſtius characteres ſunt Præcedentia. 3. Exemtio & Jus de Non appellando. 4. Privilegium inveſtituræ & plura alia in ipſis privilegiorum Tabulis contenta. 5 Horum omnium vera ratio: annexa. Q. An Archiduces poſſint nobilitare per univerſum etiam Imperium.

§. I.

SIngularem familiæ Auſtriacæ Eminentiam addit titulus Archiducatûs, quaſi qui majorem cæteris Ducibus dignitatem habeat, & ſit ſupra omnes Duces, [a] ſicut ArchiEpiſcopus eſt ſupra Epiſcopos. Hanc autem dignitatem ad hæredes tranſitoriam Rudolpho I. Imperatori [b] primariò adſcribunt Dd. qua prælucere Auſtriæ Duces voluerit, ita, ut ſicut ante hos nemo in Germania [c], ita nec poſt eos talis unquam exiſteret, ſi vel maxime ambiret etiam; quo ipſo major eſſe cæteris omnib. colligi poſſe videtur per ea, quæ ex Goldaſto & Münſtero refert Magnif. Dn. Carpzov. [d] in verb. privilegii. Doch alſo daß es von dem Stammen des Geblüts nicht komme / und daß diß Hertzog-Thum nimmermehr getheilet ſoll werden. Hinc erronea Mozzii [e] eſt ſententia, qui ait conſvetudine eſſe introductum, ut Ducum atque Principum primogeniti ex aliis familiis æque Archiduces appellari poſſint. Differunt enim ab Archiducibus ipſi etiam magni Duces

a Vid. Chaſſanæus in Catalog. Gloriæ mund. p. 5. conſ. 44.
b Vid. Dn Struv. in Synt. Jur. Feudal. cap. 3. aph. 7. n. 17.
c Cluten. Rer. quotid. concl. 25. junct. Petr. Fritz. d. Nobilit. concluſ. 18. lit. f. Arumæus ad A. B. diſc. 4. th. 16.
d Tract. ad L. Reg. Germ. cap. 9. ſect. 1. n. 6.
e Tr. d. Feudis. Tit. d. His qui feud. dar. poſſunt n 16. add. Sixtinus d. regal. L. 1. c. 4. n. 32. it. Matth. Stephan. L. 2. p. 1. c. 6. n. 83. Vid. Prænobiliſſ. & Conſultiſſ. Dn. J. A. Gerhard. C. P. C. Conſiliar. Anhalt. grav. in Quæſt. J. P. contr. Hex. 7. Q. 1.

Duces dicti: Gros Hertzoge/ qualis eſt Magnus Dux Florentiæ, Moſcoviæ, Lituaniæ: qui licet dignitate ſua gaudeant, habendi tamen modo, quo noſtrates fruuntur, ſunt deſtituti, adeo in re ſingulari, noſtris etiam ipſi ſummi, inferiores. Cæterum de cauſa & modo, quo ad Archiducalis hujus dignitatis faſtigium pervenerint, eſſet, quod hic quæreret aliquis, niſi commodius id in ſequentibus fieri: hic vero ſingula potius privilegia, quæ Archiducatus ipſius Eminentiam illuſtrent, attingere magis è re eſſe videretur.

§. II. Primus igitur Eminentiæ character elucet ex ſeſſione & præcedentia, quæ tanquam indubitata inter alia plura confirmatur aperte [f] ex privilegiis Archi-Ducum Auſtriæ verbis, ubi cautum fertur Daß ein Hertzog von Oeſterreich in Reichs-Verſamlung ſol als Pfaltz-Ertz-Hertzog gehalten werden/ und nichts deſtoweniger im Sitz und Gang zu der Rechtenſeiten des Reichs die erſte Statt nach denen Churfürſten behalten. Addantur quæ adhuc in hanc rem [h] affert Gylmannus. Hinc porro in Comitiis inter cæteros Duces non in Scamno ſeculari, ſed Eccleſiaſtico etiam primum locum obtinent Archiduces, adeoq; ipſos ArchiEpiſcopos præcedunt, teſte [i] Reinkingio. Idem de earum Oratoribus & legatis aſſerit noviſſime Joh. Andr. Cruſius, [k] quippe qui præferuntur ipſis principibus in perſona præſentibus, adeoque ſemper primæ partes remittuntur honori Archiducum Auſtriæ teſte Cruſio d. loc. item Limnæo. Quod tamen inter alios ſecus ſe habet.

§. III. Neque hoc mirum: paribus enim cum Electoribus præterea iidem gaudent privilegiis, [l] uti vult Chytræus dum à Jurisdictione Cameræ videntur exemti, unde quamvis aſſeſſores præſentent, tamē ut imperio vix obnoxii, ad Cameræ ſuſtentationem nihil contribuunt nec fiſcus contra illos nomine contributionum, procedit, d. quo vid. [m] Gylmam. idq; ex confirmatione Imperatoria, quæ alia inter, elucet ex privilegii verb. Das Land Oeſterreich iſt auch exempt uñ frey vor all ander Land/ aller Zinß und Auffſchlagen der Käiſer in Ewigkeit/ & quæ ſeqvuntur. Ipſi vero ejusdem vigore privilegii no-

f *Vid. plur. ap. Lim. L. 5. J. Publ. c. 2. p. 37. ibiq; Coſmogr. Munſteri cap. 3. d. Germ. p. 940.*

h *Lib. 11. deciſ. Ca. deciſ. 54. n. 59.*

i *Reinking. d. R. S. & L. 1. Cl. 4. c. 10. n. 4.*

k *Tr. Polit. Jurid. Hiſt. d. Jure ...*
... cap. 6. n. 9. 11. Limn. lib. 4. J. P. c. 9. junct. Dn. D. Gerard. C. p. C. in prælectionib. J. P. ad Bruutlacht. L. 4. c. 3. §. 6.

l *In Chron. Sax. d. 11. junct. Cranz. d. 6 4. 6. rer. Saxon.*

m *L. 2. deciſ. fol. 648. n. 55. junct. Klokio d. Contribution. c. 4 n. 196. Reinking. n. 13.*

nova vectigalia & telonia, ubi & quandocunque lubet erigere poſſunt n per verba: Die Ertzhertzogen mögen ſich aller gewaltſam gebrauchen mit Maut Zoll: Facit huc quod æquè ut Electores gaudeant Jure d. non appellando: d. quo ſic Carolus V. Es wäre dann daß die Sach ein appellation auf Ihr trüg / ſo ſoll doch dieſelbe nach Ordnung des regierenden Landsfürſten und der Land-Gebrauch: auch nicht weiter / denn in des Landsfürſten Cammer-Gericht vollführet / und darüber an uns noch unſere Nachkommen am Reich / Röm. Käiſer und König noch an des Reichs Cammer-Gericht oder andere nicht appellirt, ſupplicirt, noch reducirt werden. Unde hoc fluit amplius, quod eorum ſtatuta & geſta revocationi cæſareæ non ſint ſubjecta: nec Archiducis ſubditi, ad extranea trahi poſſint judicia: ceu hæc ipſa inſpicienti verba o privilegii ad oculum patebunt omnia.

§. IV. Id verò præ cæteris unum circa inveſtituram, ſingularem Archiducũ eminentiam auget, quod non modo Imperium nullum teneat feudum in Auſtria, aut ullus ibidem alius bona ſua poſſit in feudum dare, niſi à territorii iſtius Domino ipſe receperit: Sed & ipſi præter communia Vaſallorũ debita, nec ſolvere quicquam pro inveſtitura: p nec extra ſuam provinciam petere inveſtituram tenentur per expreſſa verba. Daß die Ertz-Hertzogen nicht ſchuldig ſeyn um Empfangung ihrer Lehen auſſerhalb des Lands Oeſterreich nachzureiſen / ſondern ſie ſollen in denſelben Land gelichen werden. Et in mox ſequentibns inter inſignem apparatũ inveſtituræ, illud quoq; refertur, quod more inſolito, capite tecto, inſidentes equo, inveſtiantur, arg. Privilegii in verb. Derſelbe Ertz-Hertzog zu Oeſterreich ſo ihme ſeine Lehen vom Reich gelichen werden: Sol er die empfangen / bekleidet mit einen Fürſtlichen Gewand / unter ſeinem Ertz-Hertzog-Hütlein / Sitzend auf einen Pferd &c. uñ iſt mit ſolcher Geſtalt der Leihung großmächtiglich für andern begabt. Eod. Archiducum privilegio, q cautum eſt in ſeqq. Der Ertz-Hertzog zu Oeſterreich / hat die Würdigkeit vom Reich / daß er der Königliche Cron Diadem / und das Creutz der Käiſerlichen Diadem auf

ſei-

n Lim. L. 5. J. P. c. 2. p. m. 40 junct. Lim. L. 5. J. P. p. m. 39. lit p.

o Vid. d. Singulis Limn. cit. loc L. 5. c. 2 ibiq; lit. aut ipſe Mynſterus.

p arg. A. B. c. 29. §. 2. add. Reinking. d. R. S. & E. l. 4. 10. 17. ibiq; VVehnerus & alij.

q Vid. Gylmann. L. 2. Deciſ. Camer. 54. n. 59.

ſeinem Ertz-Hertzog-Hütlein öffentlich tragen mag. Gladium itidem atq; Vexillum tanquam inſignia publica gerunt, per alleg. privileg. Circa acquiſitionem etiam bonorum feudalium, ſunt privilegiati Archiduces; ita, ut, oppignorata illa revocari ne ab Imperatore quidem poſſint. Sicut nec ipſorum ſubditi ſecedentes, bona ſua recuperant reverſi; quin delinquentes in Archiducem, vita bonisque prorſus cadunt. Iidem aliis etiam conceſſas, indignis, dignitates auferre poſſunt. Si videlicet abutantur ſuo privilegio, Comites, Barones, Nobiles, Doctores, & artium magiſtri, Notarii item ac famæ reſtituti, quos omnes creari & immunes reddi ab Archi-Ducibus poſſe teſtantur luculenta privilegii verba, quippe quod per omnia alias etiam principatus privilegiis ſint exæquata, quibus gaudet Auſtriæ Ducatus. Adde, quod iſthæc ad bona futura vel acquirenda quævis etiam ſint extendenda arg. d. Privilegii. Omnibus autem & ſingulis deducendis, cum vix ſufficeret pagellarum anguſtia: perſpici illa poſſunt largius, cum ex ipſo Friderici Imp. privilegio, tum ex aliis J.P. Doctoribus [r] horumq; principe Limneo. [s] d. cujus fide ne dubites, adjecit idem ad majorem evidentiam privilegiorum confirmationem factam ab Imp. Sigismundo & Carolo V.

§. V. Licet igitur ſint, qui præter rem ſuggillant, cauſam tot privilegiorum largius ab Imperatoribus ſuis exhibitorum: Vera tamen, non ſolum videtur eſſe propenſi animi inclinatio: Sed, ut verbo dicã, [t] virtus eſt, & præclara gentis ſuæ merita, quæ obſcura relinquere neſcit gratioſa Imperatoris munificentia; cujus cauſam innuit ipſe privilegii Autor Fridericus Imperator, ubi veriſſimè ſimul ac Elegantiſſ. cor & clypeum imperii Rom. vocavit Auſtriam [u] Quandocunq; enim furoris Turcici calamitas & Bellonæ ignis exercuit, generoſa hæc pectora, nihil habuere antiquius, quam ut per fortunas ſuas quibus inſtructi erant abundè, abundè ſatis etiam à fortunæ ludibrio hoſtiumve opprobrio vindicarent libertatem Chriſtianam: id quod comprobatum calculo imperii legimus [vv] in Receſ. Imperii ibi: und dann durch diß Mittel nicht allein unſere dẽ Erbfeind angräntzende Chriſtliche Königreich/

[r] *Vid. ea expreſſa ap. Limn. L. 5. J.P. c. 2. Goldaſt. Tom. 1. Conſt. & T. 4. Symphorem.*

[s] *Nolden Tr. d. Nobil. c. 9. n. 173. Zaſig conſ. 15. Vol. 2. n. 44.*

[t] *Vid. cap. Seqv. junct. Luc. d. Linda in deſcript. orb. univ. L. 6. p. m. 605.*

[u] *Ritterhuſ. in orat. d. vita Frid. I.*

[vv] *Vid. R. U. d. Ao. 1566. §.* dieſem unſern *in f.*

Land und Leut: ſondern auch damit das H. R. Reich teutſcher Nation/welches gleich unſern Erblanden das Feuer zum nechſten anſcheinet/von endlichem Verderben errettet und erlediget werde/ꝛc. Acceſſit igitur Auſtriæ amplitudo non provinciarum modo, ſed &, quæ incorporata ei ſunt, regna Croatiæ, Dalmatiæ &c. ut ob res bello paceve præclarè ab iisdem geſtas, quænam Auſtriacæ, in Germania conferri poſſit Ducalis domus, merito quidem dubites. Verius autem non minus quam laudabilius hæc prædicari patebit facile ex rebꝰ mox adducendis in ſeqv. Illud modo removendũ hic dubium eſt quod movent DD. circa allata privilegii verba, ubi Q. Nũ eo ſe extendant Archiducum privilegia, ut inter alia
Q. poſſint creare v.g Comites, Barones &alios, per univerſum etiam imperium? Ac quod hoc etiam poſſint, verius videtur, tum quod in genere ſavorabiliora [x] ſint extendenda, tũ quod in ſpecie hunc ſenſum ſvadeant ipſa privilegii verba, ubi cautum legimus h. m. Daß ſie und ihre Erben und nachkommen/in allen ihren Landen/Herrſchafften und Gebiethen/Graven/Freyherren/Ritter/Knecht/auch dügſame und verdiente Perſonen/von neuen Edel machen/denenſelben Wappen und Kleinod mit Schild und Helm und mit allerley Zierheit geben und verleihen: Der Käiſerlichen Rechten der Artzney/der ſieben freyen Künſte Lehrer und Meiſter/auch offene Schreiber/Setzen uñ Creiren mögen; alſo daß dieſelbe von Käiſerl. Gewalt gemacht/geordnet/und Creiret/der Gebräuchen üben und zumeſſen von Gerechtigkeit und Gewohnheit etc. Nec officit quicquam particula reſtrictiva in ihren Landen/quippe quæ minime ad eorum ditiones ita eſt reſtringenda, quaſi in iisdem creati non niſi ibid. etiam pro talibus eſſent habendi: Sed omnino extra ſuas provincias, eos pro veris, cenſenda eſt propenſa Imperatoris munificentia, voluiſſe haberi; licet non eodem modo. quo Imperator ſemper & ubique in imperio, novos æq; creare, ſtatim poſſint; hoc enim unum Imperator reſervaſſe ſibi videtur. Ut taceam, quid diſſentientes reponere velint iis, qui etiam cæteris Principibus jus nobilitandi in ſuis terri-

x L.56. 192. d. R. J. & cap 1. Xtr. eod. add. Magnif. Dn. Præſes Patronus meus ſempiterna pietate venerandus in Centur. Reg. Jur. reg. 78 n. 22. & reg. 49. n 4 & ult Sed Vid. Dn. Bened. Carpz. ad Leg. Reg. c. 3. S 13. Mynſter. in Coſmograph L. 3. c. 899 fol. 976.

toriis concedunt, referente y Hermeſio. Sic enim fruſtra ſingulare hoc eſſet Auſtriacorum privilegium, niſi verborum tenor univerſaliter eſſet intelligendus. Talem autem pro ſententia noſtra ſervandum eſſe tenorem comprobant z Dn. Conr. Carpzov. Magnif. Dn. D. Thomæ D. Fritzius & alii.

y *Vid Hermes in J. P. c. 14. Q. 18. p. m. 252. ibique alleg.*

z *Dn. Conrad. Carpzov. in Diſſ. Inaugural. ſua d. Regalibus VVittenberg. habita. 1618. th 17. Magnif. D. Thomæ in Colleg. J. P. ad Lampad. cap. d. Archiduc. Fritzius d. Nob. concluſ. 8. junct. Nolden. d. Nob. c. 2. n. 177. Vultej. d. Feud. L. 1. c. 8. n. 10.*

Cap. IV.

Fudamenta ſuæ potentiæ quoad regna probat.

ARGUMENTUM.

1. Potentiæ demonſtrandæ anſam offert Virtus & regnum Rom. remiſſive. 2. Bohemiæ ſubactæ jura & hiſtoria refertur. 3. Hungariæ regnum matrimonii vinculo eſt acquiſitum, nec minus. 4. eodem modo tenentur regna Croatiæ, Dalmatiæ, Sclavoniæ. circa quæ Q. an Rex Hungariæ recognoſcat aliquem ſuperiorem.

§. I.

ACcepta ſic Auſtriacorum Eminentia, conſequens eſt, ut quæ neceſſario quodam nexu eandem comitetur potentia & fortunarum ſplendor, videamus. Videmus autem eam in tot regnorum gubernatione, Ducatuum adjectione, Comitatuum acquiſitione, tot Provinciarum ac Ditionum poſſeſſione, quot vix in imperio Chriſtiano, non dicam noſtro Rom-germanico uni ſubjectas capiti reperias. Utut proinde, (ceu fieri ſolet) Virtutem, invidia & potentiam hanc, ſua comitetur æmulatio, Virtus tamen Auſtriacorum probavit, non eſſe nefas virtute creſcere, nec piaculum eſſe acceptare, quod natura, hæreditatis aut connubii jure, vel etiam voluntas hominum Electionis decreto offerret. Et, ut non minus juſtam quam ampliſſimam eſſe hanc potentiam oſtendamus, apparet Titulus tanto melior, quanto modus (Electionis ſcilicet) conferendi ſemper fuit liberior. a Sibi enim Auſtriaci ſalva Reip. ſuæ libertate ſemper ſunt Reges Roman. electi, & inde Imperatores creati? quod, qua ratione fiat, cum ſupra jam attigerimus

a *Vid. Fritzig d. Elect. Reg. Rom Diſſert. 5. Q. 3. Goldaſtus d Majorat. L. 3. c. 11. n. 3. Cruſius d. PræEm. L. 4. c. 17. junct. Richard. Bartholino Enenkel. & VVurſbain. c. 2. n. 4. ſupr.*

rimus, nec adeo hoſpitem in rep. ſua quemquam eſſe deceat, qui ſtatum illius ignoret, proinde ut de Rege Roman. ac ſic etiam Eminentia, quam in eo conſecuti ſunt Auſtriaci, plura hic verba facere neceſſe haud videatur. Rectius ne vero Germanorum quam Roman. Rex vocetur. Videri cum aliis [b] plur. ap. Limnæum poteſt.

§. II. In præſenti præter regiam hanc coronam, gloriæ Auſtriacæ aſſignanda etiam eſt Bohemica, quippe quod regnum Bohemiæ eo magis ad regiam Auſtriacorum Eminentiam faciat, quo ſvaviori vinculo matrimonii, ſibi hocce devinxit, quin & temporis tractu totum ſuæ poteſtati ſubjecit, quo fato utrumque acciderit, e re omnino erit hic recenſere.

§. III. Referente igitur Ponto [c] Heutero, Albertus Auſtriacus poſtea Imperator, ducta Sigismundi Bohemiæ Regis unica filia Eliſabetha, regnum ſimul conſenſu ordinum non modo obtinuit, ſed & per ſucceſſores ſuos retinuit. Sic enim filio ſucceſſore Ladislao extinctô, regem ſibi Bohemi fecerunt Poloniæ Regis Caſimiri (qui Ladislai defuncti ſororem alteram Eliſabetham in matrimonium ſuſcepit) Filium Uladislaum, ex Regum Bohemiæ ſangvine per matrem ortum. Hic Uladislaus unicum reliquit filium Ludovicum, & Annam filiam itidem unicam: ille patris, in regno ſucceſſor, deinde Uxorem ſibi junxit Mariam Auſtriacam, Imperatoris Caroli V. ſororem. Iſta, Ludovici ſcilicet ſoror, nupſit fratri Caroli V. Ferdinando Auſtriaco. Ex quo patet, in Auſtriacos non modo derivatam, ſed & continuatam fere per eos eſſe in Bohemiæ regno, ſucceſſionem: quantum quidem per vota Bohemorum licuit, idque ad Matthiæ Imperatoris usque tempora. Tunc enim fata Germaniæ quibus hactenus exercebatur, primum ſeſe aperuerunt; quorum ex aliis cauſa fuit, quod Ferdinandum II. ſucceſſorem agnoſcere recuſabant Bohemiæ proceres. Factum hinc eſt varios inter animorum motus ut (Comite Turriano Duce) tres ex primariis Cæſaris miniſtris, ex ſummâ Pragenſi arce (nil tamen inde læſos) raptim præcipitarint. Subſtituto poſtea Friderico Palatino, Bohemi ancipitem primum, mox apertum Martem

ſunt

b Vid. Reinking. d. R. S. & E. L. 1 Cl. 3. c. 14. Carpzov. ad L. Reg c. 11. ſect. 4. D. Otto in J. P. c. 15. Limnæus L. 2. c. 1. & annot. ad Capit. Carol. V.

c Pont. Heuterus Rer. Burg. c. 1. 2. Mercat. Gall. L. 1. Tom. 14. L. 3. T. 14.

ſunt experti. Verum, ſummâ fœderis, Bavariæ Duci Maximiliano, commiſſâ: militem conſcribunt Catholici, eoque animo majori, quod Ferdinandus ArchiDux, interea Electorum ſuffragio renunciatus Roman. Imperator, alium rei eventum oſtenderit, quam comitiorum operiebantur alii. Hinc Palatino in Sileſiam profugiente, Bavarus regnum Bohemiæ in fidem Imperatoris reſtituit, qui belli jure liberiora eligentium vota ſucceſſioni perpetuæ aſtrinxit. Qua de re plura vide ap. Goldaſtum Limnæum Bragelium & alios Dd. plures.[e] Nos, porro pro inſtituti ratione, ad eam, ſub qua regnum Hungariæ floret, coronam, deducit Eminentia Auſtriaca. Quippe quæ eodem quo Bohemica, nexu, illi eſt conjuncta, matrimonii ſcilicet. In iſto tamen à priori diverſa, quod benigniori hactenus fato regni ſui ornamenta ſuprema, liberâ Electione ad domum Auſtriacam detulerit. Cujus rei præter jus vicinitatis, cauſa forte non una eſt; Hic inter primas reputamus, quod Ludovici ſoror, de qu. ſupr. dictum, Ferdinando Auſtriaco nupta, vinculo matrimonii ſucceſſorem etiam fratris Ludovici Regis Hungariæ à Turca Solymanno in pugna cæſi, ſucceſſorem fecit maritum, Ferdinandum Auſtriacum, & Regem Hungarorum primum, qui à Matthia Imperatore & Rege itidem Hungariæ ac Ferdinando II. III. & IV. omnes Auſtriacos usq; ad Leopoldum noſtrum fauſto omine faſces regios transmiſit Anno 1655. Cæterum non deeſſent forte, quæ adduci poſſent plura d. Regibus Hungariæ eorumque coronatione & poteſtate, de ſtatu item tam Eccleſiaſtico quam Politico aut militari: ſi vel inſtituti ratio iſtud exigeret, vel admitteret Scriptorum[f] d. ſua gente penuriá. Vid. proinde ex aliis Anonymus. Ab eo certe tempore, quo intra fines ſuos, à Carolo M. olim Hunnis poſitos, ut ſupra dixi, ab Henrico Aucupe & Ottone M. eſt compulſa, non adeo in hunc fere diem, ſeſe movere auſa eſt: quin haut ſemel deliberatum in conventu ordinum de illa in provinciam redigenda annitente jam fortiſſimo Cæſare Friderico Ænobargo[g] uti vult Cl. Conringius, quia tamen veteres illi Hungari, libertatis amorem inviolatum

[d] Vid. Goldaſtus in den Reichs-Satzungen. Item Abelini erſten Theil des Merianiſchen Theatri Europæi junct.

[e] Leonh. Papp ad Ann 1618. Hermes in J. P. c. 18. Q. 4. n. 51. Conf Dubravius d. reb. Bohem. Itinerar. Æneæ Sylvii.

[f] Vid. Scriptor Anonymus de Statu & Republ. Hungar in Batavis editus ab Elzeviriis Ao 1634. Add Ranzov. J. Reiſenberg. not. ad Boter It Veget de re militar. L. 18. c. 20. Baron. ab Herberſtein Coſm. Moſ: Specbio del. Scien L 1. cap 28.

[g] in Præfat. ad Politic Ariſtot p m. 859. junct. Tr. de Finib. L. 1. c. 17.

tum conjunctumqve cum religione coronæ habebant: fato benigniori, credo, iis hodienum contingit libertatem ſuam ſartam tectamque ſervare, adverſus infeſtiſſimum nominis Chriſtiani hoſtem Turcicum, id quod ſub glorioſo noſtro Leopoldo, in moderno etiam bello vidimus, ut adeoq; vel merita Auſtriacorum explicare, vel recentem Hungariæ faciem deſcribere prolixitatis potius eſſe videatur, quam neceſſitatis.

§. IV. Progreditur idcirco potentia Auſtriaca ex regno Hungariæ, itidem in regni titulo decoram Croatiam, Dalmatiam, ac Sclavoniam: qvæ uti continuo quodam nexu cohærent, adeo, ut teſte Cluverio [k] Croatæ partim cum Sclavis ejusdem ſint generis: partim Illyrico jungantur Sclavonia & Dalmatia; neutra vero notatu dignum quicquam in rem præſentem offert; ita vel in eo Eminentiam Auſtriacam firmatam obſervamus, quod non modo hæc etiam regna affinitatis jure quæſita teneat: [l] ſed & inita cum Venetis pace, conjunctis viribus, hoc pacto in Chriſtianæ libertatis emolumentum contra inſultus Turcicos ea conſervet ac tueatur hodienum Leopoldus noſter, Pius, felix, pacificus. Id unum priusqvam hæc deſeramus removendum eſt dubium. **Num Leopoldus noſter tanquam Rex Hungariæ Croatiæ ac Dalmatiæ neminem niſi DEum & Enſem recognoſcat Superiorem.** Et hoc quoque pro libertate regia ſervanda, affirmandum videtur, cum Diſſentientium rationes non illius ſint ponderis, quæ infringant hanc aſſertionem, uti quidem apparet ex iis, quæ circa hanc rem moventur ab Anonymo. Vid. Bodinus d. republ. Petrus ac Reuva & alii [m] Niſi forſan in Electione regia ſtatim, poteſtas quodammodo ad Reip. ſalutem ſingulariter reſtringatur, vel ſtatuta illius ſuadeant aliud.

[k] *Introduct. in Geogr. Lib. III. c. 12. L. IV. c. 3. 4.*

[l] *Vid. Anonym⁹ d. Gent. Auſtriac. P. II. c. 14. §. 8.*

Q.

[m] *d. rep. & ſtatu Hungariæ. ad An. 1635. ibiq; allegati. Petrus d. Revva d. Coronat. commēt. p. 50. Boding L. 1. d. rep. c. 9. Reinking. d. R. S. item. L. c. cl. 2. cap. 4. junct. H. Grotio d. J. B. & P. L. 1. c. 3. §. 16.*

Cap. V.

Jura poſſeſſionis in Ducatibus cæteris confirmat.

ARGUMENTUM.

1. Ducum ut & Archiducatus Auſtriæ origo. 2. Burgundiæ Ducatus acqui-

acquiſitio. Eidem adjungitur Brabantia, Luzelburgum &c. 3. Ducatum Styriæ Carinthiæ & Carniolæ firmarunt matrimonia. 4. Auget Eminentiam Auſtriacorum Sileſia nec minus VVurtenbergiæ Ducatus, juncto Teccæ & Sueviæ Principis Titulo, ſalvo, eorum occaſione Q. An mediatè ſubjectus Imperio ſit ſtatus Imperii.

§. I.

Ducis, à deducendo exercitu in hoſtilem agrum dicti & in Heerßog qs. der vor dem Heer herziehet (Zog & Zug expeditionem denotat) ſub Imperatorib. Romanis, officiũ merè militare fuit, & ob frequentes exterorum irruptiones iis non infrequens: his enim, continuis implicati bellis, Imperatores ſuas commiſerunt provincias. qua ratione autem progreſſu temporis potentiores facti ipſi, liberiꝰ ſibi ſumſerint imperium, cum perſpicuè, ut ſua omnia, deducat Magnific. Dn. Struvius [a] id unum hic modo venit notandum, qvod Dux, qvi primum rei bellicæ præfectus ſ. gubernator fuerat, poſtea ſucceſſu temporit ceperis haberi princeps, qvales primum in Rhetia fuiſſe [b] ap. Romanos, colligit Limnæus. Hinc hodienum forte Dux ſumitur, pro Principe, cui Superior in beneficium, Regionem, Ducatus nomine venientem conceſſit, & ſic à Ducatu Dux denominatur. Ut revocemus iſta ad Eminentiam Auſtriacam, qvatenus ea ex Ducatibus horumq; primario, Archiducatu, eluceſcit: triplicem circa ſtatum Auſtriacum mutationem obſervare licet. Qvi enim hodie Archiduces audiunt, priusqvam Duces modo effecti, Marchiones olim tantum fuerunt. Horum autem mutatio hoc contigit modo: [c] Auſtriæ præcipuus olim fuit Ducatus Bavariæ: cujus Ducibus regiam pene tum temporis poteſtatem habentibus paruerunt Marchiones Auſtriæ: qvippe qvi ab illis pro ſervando Imperio & repellendis Hunnorum inſultibus ad hoc munus erant conſtituti, qvo functi etiam videntur usq; ad tempora Friderici Barbaroſſæ. Ab eo autem tempore lis magna orta inter Imperatorem Conradũ III. & Henricum Superbum Bavariæ Ducem, qvem Imperator t. rebellem, Ducatu exuerat, eumq; Marchioni Auſtriæ dederat. Dum hæc aguntur ſuccedit Conrado defuncto Fri-

[a] *In Syntagm. jur. Feudal. cap. 1. Aph. 4. n. 1. 17. ſeq. add. Dn. Conr. Carpz. in Inaugural. diſſ. ſua d. Regalib. th. 11.*

[b] *L. 4. J. P. c. 3. n. 6. (& paſſim) ubi onomatologia pertractatur.*

[c] *Confer. Cl. Dn. M. Schlemii Prælectio. Hiſtoric. Polit. ſub Tit. Auſtria.*

Fridericus Barbaroſſa, huic ſupplex factus Henricus Leo, Superbi filius, ducatum ſuum repetit. quid adhæc Imperator? Ne alterutri ſuum auferret: illi ſcil. poſſeſſionem, iſti jura poſſeſſionis. Medium ſe geſſit: Reddidit Henrico Bavariam: Marchiam vero Auſtriæ ab Imperio Ducum Bavariæ, pronunciavit liberam, hoc eſt, in novam dignitatem Ducalem, raro. t. t. exemplo primum evexit Fridericus Imperator; id quod tanto æquiori animo tulit Henricus Leo, quanto arctiori vinculo, matrimonii ſc. quod cum ſorore Leonis, Marchio Henricus II. primus jam Dux Auſtriæ contraxit, eidem ſe addictum ſenſit. Continua ſic ſerie, per Henrici I. Auſtriæ Ducis filios Leopoldos, Ducatu ad Fridericum bellicoſum devoluto, evenit, ut ſine hærede mortuus, ſororē hic reliquerit Margaretham. Iſtam Rex Bohemiæ Ottocarus, quam procus ante ambierat, paulo poſt, nuptias cum alia pactus, repudiavit; repudiatæ tamen dotem, Auſtriam, reſtituere renuit. Utramque injuriam vindicavit Rudolphus Habspurgicus, poſtea creatus Imperator, marte etiam aperto, poſtquam bonis conditionibus rejectis, arma arripuiſſet Ottocarus? quo devicto factum, ut Auſtria clientelare beneficium imperio aperiretur, & mox filius Albertus, quem Rudolphus Pater præfecerat communi ſtatuum ſuffragio, in Comitiis Auguſtanis Dux renunciaretur. Itaque Auſtriæ Ducatus primum Auſtriacorum patrimonium jure factus, ac interrupta Ducum ſerie feliciter hucusq; fuit ſemper retentus. Cæterum non deſunt, qui Auſtriacæ gloriæ parenti Rudolpho Habspurgico, [d] hoc etiam ſuæ familiæ decus ſingulare, primario adſcribunt, quod ſc. Ducatum inſuper transformarit in Auſtriæ Archiducatum: quamvis alii [e] malint, uti privilegiorum omnium, quibus gaudent Auſtriaci: ita iſtius non minus Eminentiæ Archiducalis confirmatæ, autorem agnoſcere Fridericum III. Imperatorem: forte quod modeſtia Rudolphi I. recentis Ducatus comitem noluerit jungere invidiam in Albertum. Iſtius a. Archiducatus diviſionem & cōditionē quod concernit, diſpeſcitur in Superiorem & inferiorem, de utriusq; præſtantia videantur [f] Geographi, cum præter inſti-

d Vid. dicta in cap. præced. n. 1. junct. Matth. Dreſſer. in millenar. ſub Ann. Chr. 1273.

e Vid. Conſultiſſ. Dn. J. A. Gerard. Hexad. J. P. Q. 1.

f Ph. Cluverius in-

inſtituti rationem, non terras commendare, ſed demonſtrare jura, animus ſit. Qvatenus idcirco jure ſuo merito eminentia Auſtriacorum ſeſe extendit, ad remotiora qvoqve: ex Burgundiæ porro Ducatu manifeſtum eſſe poteſt.

§. II. Singulare potentiæ Auſtriacæ incrementum, pro ſingulari ſua prudentia & felicitate adjecit ratione Burgundiæ Maximilianus I. Imperator, dum extincti Caroli Audacis, Burgundiæ Ducis, filiam unicam, hæredem ex aſſe relictam, [g] in uxorem ſuſcepturus, iis omnibus, qvi dotem non minus qvam puellam procabantur, eſt prælatus, qvo poſtea matrimonio, ditiones Burgundicas cum univerſo Belgio Auſtriacæ familiæ intulit, auſibus Ludovici XI. regis Galliæ qvibusvis etiam contrariis, tum eluſis, tum ſopitis. Hæc Burgundia, à Burgis ſive præſidiorum caſtris dicta, olim quidem erat regnum, poſtea tamen bipartitum in Ducatum & comitatum abiit: qvorum ille verſus occidentem dicitur Burgundia inferior, & regi Galliæ ſubeſt; hic ad orientem ſuperior [h] ad Imperium ſpectat, & regi Hiſpaniæ ſubjicitur: ad auſtriacam tamen domum pertinet comuni inter Auſtriacos Titulo Hertzog zu Burgund. Præter ea, qvæ pluribus hac in re ſolide deducit Magnif. Strauchius & Limnæus, id unum hic attingendum eſt, qvod ex duplici domus Auſtriacæ linea, altera iſta, qvæ Burgundica à Carolo ſcilicet V. vocatur, non modo ſub Tutela Imperii [i] adhuc comprehendatur ac ratione ditionum Burgundicarum circulum decimum conſtituat, ſed & in Comitiis votum habeat, ſicut Archidux Auſtriæ adeoq; inter Eccleſiaſticos locum teneat ſecundum [k] Eximitur inſuper qvodammodo, à Jurisdictione Cameræ & contribuere, uti cæteri, non tenetur. Matrimonia Auſtriacæ familiæ Principibus ad molem potentiæ firmandam propitia, effecere itidem, ut pari ratione inter alias provincias, Eidem cederet [l] Brabantia. hanc enim adjecit Maximilianus Imperator ducens Mariam, filiam poſtremi Ducis Burgundiæ Caroli. qvem tot provinciarum hæredem qvondã reliqvit moriens Pater Philippus bonus. Erat iſte filius Johannis Burgundiæ Ducis, cui tum obvenerant pleræqve provinciæ: Utraqve ſci-

trod. in univ. Geog. d. 3 c. 12. § 6. & particulares H. Hermes J. l. c. 28. alii junct. Luc. d. Linda. b. T.

g *Conf. Strauchius Differt Exoteric. l. Th. 1. It. Limn. L. 5. J. P. c. 2. n. 43.*

h *Gerard. Mercator. in Atlante p. 146. junct. H. Hermes. in J. P. c 25. Conringius Tr. d. Finib. Imp cap. 13. c. 25. p 628. c. 28. p. 770. sequ.*

i R. A. zu Augſpurg. *Anno 1548.* §. nach dem.

k *Nolden. d. Nobilit c. 9. n. 155. junct. webnero Tom. ult. Symphor. Cruſius d. Jur. Præ-Eminentia L. 4. c. 5. 6. Hermes. Faſcic. J. P. c. 28. n. 6. p. m. 466.*

l *Vid Luc. d. Linda in Deſcript. Orb. univ. L. 7 p. m. 820. ibique alleg. Pierre. d. Avity junct. Anonym d. G. A. P. II. c. 15. p. 225. & 228. & §. 4 p. 230.*

ſcilicet Bùrgundia, hæc Brabantia, Limburgum &c. & obvenerant quidem ex pacto, quippe quod iniit Johannes ille cum fratribus ſuis Philippo&Antonio: ita ſcilicet ut Antonius hic medius inter Johannem & Philippum, curante ipſorum id, patre, ſit ſuffectus in Brabantiæ ducatu, ſuoque in iſtum jure ceſſerit Johannes ſenior, ea lege, ut deficiente Antonio ejusve hærede, jus in Brabantiam ad ſuam ſtirpem rediret: quod quia contigit, devolutum eſt, ut dixi, omne jus Ducatus Brabantici ad Philippum bonum, dicti Johannis filium ac poſtea patrem Caroli Burgundiæ & Brabantiæ Ducis poſtremi, per cujus filiam matrimonii vinculo hæc omnia familiæ Auſtriacæ adjunxit Imperator Maximil. ceu iſta ab illorum trium filiorum parente Philippo audaci, Burgundiæ Principe, altius devocari & videri poſſunt [m] ex Pont. Heutero. Eodem fere, quo cætera, nexu tranſiit ad Carolum Audacem Ducatus Lutzenburgicus, quippe in cujus patrem Philippum bonum, ob grave ſuæ provinciæ regimen eum tanſtulit Eliſabetha Goritia; hunc igitur pleno poſtea Jure poſſedit filius (quem pater ſub annua penſione habuerat) Carolus, donec moreretur ſine prole Eliſabetha Goritia, quæ cum neptis eſſet Bohemiæ regis VVenceslai, ſine liberis itidem defuncti, evenit, ut Ducatus hujus proprietatis devolveretur ad VVenceslai fratrem Sigismundum Imperatorem. Huc unica fuit filia Eliſabetha Luxemburgica Hungariæ & Bohemiæ regina, quæ Alberto Auſtriaco Imp. nupſit, & ſic ad Auſtriacos Ducatus hic tranſiit, d. quo plur. Vid. ap. Heuterum & al.

[m] *Vid. Pontus Heuterus Rer. Burgundicar. L. 1. c. 1. § 23. junct. genealogia Ducum Brabant. fol. 255.*

[p] *Pont. Heuterus Rer. Burg Lib 4. c. 9. add. Geneal. Luxemburg. fol. 201. L. 5. c. 1. 3. 14 & c. 7. junct. Luc. d. Linda & Guicciardin Belus.*

§. III. Sed ut progrediamur in deducenda Auſtriacorum potentia, eluceſcit ea porro ex Styriæ Ducatu. Hic primò Marchionatus, unde hodienum vocatur Steyrmarck (de qv. in ſeqv.) circa idem fere tempus, qve Auſtriæ Ducatus innotuit, in Ducalem dignitatem itidem mutatus, ad Auſtriacos devenit, Ottocari quidem Styriæ Ducis primi, beneficio. Cum enim Ottocarus ſeu matrimonii violati, ſeu inveſtituræ à Rudolpho petendæ, ſed poſthabitæ, culpâ non carens, anſam liti dirimendæ dediſſet bellô publicô: ad Internecionem usque cæſus ab Imperatore Rudolpho Ottocarus:

Au-

Auſtriæ ſimul dote & feudo fuit privatus. Una igitur cum Auſtria recuperatum Styriæ Ducatum transfert ad Albertum filium Imperator in comitiis Auguſt. Vindelicor. ex communi Principum Civitatumque ſententia, poſtulantibus idem Provinciarum Legatis: neve dubia redderetur à quoquam poſſeſſio, firmavit eam Albertus matrimonio Meinhardi, Comitis Tyrolenſis, cui antiquum in Auſtriam Jus erat, ductâ filiâ. Cæterum plura quæ circa hanc provinciam afferunt, aliis relinquentes, [o] id num hic attingimus, quod ab eo tempore ſupra, quo Ducalis dignitas anxit eminentiam, non tam Habspurgica amplius quam Auſtriaca poſthæc dicta ſit familia, quo prænotato, ſtatim jam ſubjungimus, quæ ſvavi nexu Styriæ adjacet, Ducatum Carinthiæ. Hunc autem Otto Habspurgicus Alberti filius Auſtriæ adjecit, acceptum à Cæſare Ludovico Bavaro: Is enim mortuo Henrico Carinthiæ Duce, non attento, qui filiam iſtius, Margaretham duxerat, Johannis, Bohemiæ Regis, filio adjunctas regiones fratribus Auſtriacis, in fidem Cæſar contulit: ſolâ Tyrolenſi ditione Margarethæ [p] relictâ. Cumque de injuria filio ſuo facta, conqueſtus Johannes Rex, multis ap. Imperium argumentis cauſam ageret: Reſpondit Cæſar, Licere pro ſuo jure hoc ſibi; devolutas ſcilicet ad Imperium, absque melioris ſexus hærede, ditiones, quibus commodum videretur aſſignare. Atqui Auſtriæ provincias, non alio modo quietiores & imperio fore obſequentiores, quam ſi gubernarentur ab Auſtriacis, certo eſſe certius. Sic ergo fiebat, ut Carinthiam non ſolum retinuerit, verum præterea proximam huic ab occaſu Carniolam quoque occuparint Auſtriaci, idque ſtricto quodam vicinitatis Jure. Eſt enim Carniola vulgo Carnt/Carnithiæ (rectius enim Carnithia à Carnis populis dicitur) pars altera, quam vel hoc nomine merito cum locis inde dependentibus, conceſſit itidem Ottoni Habspurgico, Ludovicus Bavarus Cæſar, cum ut liberis ſuis Auſtriacis vicinos, hac amoris ſignificatione ſibi devinciret, tum ut eorum jura confirmaret; quippe quæ jam pridem ab Alberto ejus patre, una cum Styriæ Ducatu ex eod. Imperii beneficio in co-

[o] Vid. Cluverius Introd. in Univ. Geogr. L. 3. c. 12. §. 5. 6. junct. Conring. Tr. d. Finib. Imp. cap. 4. p. m. 33.

[p] Vid. Gerard. d. Roo Lib. 3. annal. p. 99. ſeq.

mitiis acquiſita, nec minus etiam poſtea corroborata fuere à Carolo IV. Imperatore, cujus ſororem Annam Otto duxerat ſecundis nuptiis, cujusqve ſucceſſores legitimos in hunc usqve diem Auſtriacos agnoſcunt & Dominos clementiſſimos, ſubditi harum Regionum qviqve fideliſſimi. Veterum autem ſingularem & tam admiratione qvam annotatione dignam Principis apud Charinthios inaugurandi rationem, Vid. ap. [q] Münſterum.

§. IV. Ad Sileſiam ſi progrediamur, non minus, quam alius, Eminentiam Auſtriacam, confirmat illius Ducatus: qvippe qvæ non olim modo ſub Imperio fuerit, ſed hodienum etiam paret Auſtriacis, & qvidem Imperatori noſtro tanqvam Bohemiæ Regi, cujus feudum eſt Sileſia. Acqvirendi autem modus cum ſupra fuerit adductus, & hanc operam anteverterit Dn. Conringius,[r] illud ex eodem hic obſervamus, quod à multis jam ſeculis in ditione Imperii fuerit Sileſia & ſerviverit Tributaria, cumqve diſerte feudi jura ſibi in Terram illam aſcribat Rudolphus Cæſar, qvæ etiam agnoverint tot illuſtres Bohemiæ Proceres, forte, vix erit, qvod mordeat illa cura aut invidia hodie demum, homines nuperos, infimæ ſortis & rerum veterum parum gnaros. Quando autem duces eorum cæperint, qvæ item præter Principatus 16 urbes item & oppida 150. hujus Provinciæ conditio ſit, cum alienæ forſan eſſe tractationis videri poſſet, alii ea cum Conringio loc. allegat: relinqvimus hoc uno addito, qvod liberior Ducatus iſtius potentia, à nutu & arbitrio Imperatoris noſtri in plerisqve dependeat, qvippe qvod ad Auſtriacos in hunc usque diem per ſucceſſores legitimos eodem cum Bohemia fuerit jure translata, qvo ipſa olim Sileſia Bohemiæ Regno eſt adjecta. Hiſce qvidem extra dubitationis aleam poſitis, non eſt qvod imminuat Eminentiam Auſtriacam inſignis Wurtenbergenſis Ducatus, quem utut licuerit attingere eo brevius, quo ſolidius totam illius controverſiam in utramqve partem circa violatam Reutlingam, agitatam, propoſuit Dn. Strauchius,[s] id tamen ſilentio præterire vetat Domus Auſtriacæ ſplendor: cui etiam hac in re cautum, ut non obſtante inita Transactione inter Ulricum extor-

q In Coſmograph. ſub Deſcriptione Carinthia Add. Pierre d. Avity. in Deſcript. germ.

r Tract. d. Finib. Imperii cap. 4. § 31. & cap. 19 p. 335. c. 29 p. 811. Add Luc. d. Linda. in Deſcript. Orb. univ. L 6. p. m. 814. junct. Sileſiograph. Nic. Henel.

s Differtat. Exoteric J Public. X. Th. 1. ſeq. usq. 21.

extorrem, & Ferdinandum Regem, Auſtriacis jura ſua in dictum VVurtenbergenſem Ducatum, &, ſi quando res ferret, Succeſſio reſervata ſit intemerata, uti ſonant verba Transactione expreſſa [t] Daß weil König Ferdinandus mit dem Land zu Würtenberg belehnet/ ſo ſolte Er den Titul Hertzog von Würtenberg behalten/und ſolches Fürſtenthum hinfüro des Hauſes Oeſterreich Afferlehn ſeyn &c. Id qvod ne dubium reddant acta publica recentiora, non minus pro Auſtriaca familia faciunt ipſa verba Inſtrum. Pac. Cæſ. Svecici [u] udi confirmata denuo jura leguntur in verbis: Jedoch mit Vorbehalt allen und ieden des Hauſes Oeſterreich un̄ Würtenberg an obgedachten Herrſchafften/ Blauenbeürn/ Achalm/ und Stauffen geführten Rechten/ Handlung/ Exceptionen und Beneficien &c. Haut abſimile quid tenendum circa Ducatum Sveviæ Teccenſem, cum, extincto Duce ultimo Sveviæ Conrardino, partiti inter ſe ſint Principes Badenſes, VVurtenbergenſes & Teccenſes ipſam Sveviam; cujus tamen participes eſſe Auſtriacos noſtros, jam diximus. Nec inconvenienter hinc vocantur Sveviæ Principes, Auſtriaci, nam & ex Svevorū Regio veteri ſtemmate deſcendiſſe Habspurgicos quidam [x] colligunt: qvin & ipſum Rudolphum Imperatorem filiorum ſuorum alterum declaraſſe Sveviæ ducem, obſcurum eſſe nequit, per ea quæ geſta ſunt in Comitiis Auguſtanis A. 1283. ac ab imperii ordinibus probata, quo tempore etiam magna pars Sveviæ poteſtati Auſtriacæ (ceu probant Hiſtoriæ) eſt ſubjecta. Horum quicquid jam ſit, ex allatis apparet inſignis Auſtriacorum Ducalis Eminentia, circa qvam, ex iis quæ controverſia non carerent, anſam dubitandi forte ſuppeteret Ducatus Sveviæ, qvod videlicet Dux VVurtenbergiæ ſit Status Imperii, & tamen Ducatum ſuum à Domo Auſtriaca als ein Afferlehn non vero immediate ab Imperatore ſuſcipere videantur, ex cujus rei argumento evidenti, forte non abs re quæri poſſet: Annon etiam quis eſſe poſſit Status Imperii, qui tamen non immediate ſit ſubjectus Imperio? Id quod nihilominus Negandum videtur, ſi quod regulariter fieri debeat, ſpectemus: ſecus forte erit in caſibus exceptis

[t] *ap. Dn. Limnæum Lib. 5. J.P. cap. 16. nr. 4. add. Pont. Heuterus Lib. X. rer. auſtriac. c. 10.*

[u] *Vid. Theatrum Pacis ibiq. Inſtr. Pac. Cæſ Svec. §. 4. v. 14. p. m. 93.*

[x] *Vid. Anonymus quidam d. Gente Auſtriaca P. 1. c. 1. p. 11. c. 14. §. 9.*

aut controverſis, aut conditione quadam temperatis: ad qvos exempla contraria referri poterunt, qvæ tamen non ſtatim infringent regulam pro immediatis à Dd.[z] paſſim traditam & receptam.

CAP. VI.

Marchionatum explicat.

ARGUMENTUM.

I. Marchionatus explicatio, ad rem præſentem applicatio. 2. Moraviæ Marchionum deductio, juncta Burgoviæ ac Marcæ Tarviſanæ origine. 3. additur Luſatiæ acquiſitio ſubnexa Quæſtione, quo jure tranſierit ad Duces Saxoniæ.

§. I.

Marchiones, qvi comitibus hodie ſunt ſuperiores,[a] Duces immediatè ſeqvi: tum ex conſvetudinis obſervatione, tum ex ſcripturæ ordine in Conſtitutionibus Imperialibus & communium[b] Statuũ Imperii Rom. ſubſcriptionibus probatur. Miſſâ, quam DD. tradunt varia Marchionum denominatione, origine ac diverſitate[c] dicendum videtur, qvod Marchio à Marca ſive limite rectè dictus, originaria ſua ſignificatione alius non ſit, quam limitibus regionis cujusdam Præfectus: hæc enim dignitas limitanea, olim erat Præfectura eorum, qvi mandatam provinciam tuebantur ab incurſionibus barbarorum, unde dicti comites limitum: qvibus reſpondet vox germ. Marggrav. Mark autem nobis limitem & vox Grav denotat judicem, ut adeo non defenſorem ſolum limitum, ſed & judicem cauſarum ob limites ortarum denotet. Licet vero jam olim Romani qvidem tales[e] habuerint, ſed hodienum non iidem ſint limitum defenſores: nomen tamẽ ex conſvetudine veteri iſtis adhuc integrum eſt,[f] & Marchiones hodie nobis ſunt, qvi de Marchia h. e. feudo cum regali dignitate ab Imperatore inveſtiti ſunt,[g] qvin & tales cum conſtituerentur, limites regnorum nacti qvondam ſunt, ceu ex aliis refert Limnæus.[h] in J. P. ubi dicitur qvod Marchio Brandenburgenſis à Carolo

z *Vid. Dan. Otto J. P. c. 27. p. m. 40. ſeq. junct. VVurmſer. Exc. J. P. III. Th. 20*

a *Heigius P. 1. L. 2. n. 55.*

b *Teſte Matth. Stephan. d. Jdict. L. 2. p. 1. c. 6. n. 58.*

c *Vid. Reinking. d R. S. E. d. Cl. 4. c. 13. n. 1. ſeq. junct. Limn. L. 4. c. 4. n. 22*

e *Liminarchæ vid. L. 4 d. fugitiv. ibiq. Gothofr L 38. C. d. Lib. cauſſ. L. 18. d. muner. & honor. π*

f *Petr. Fritz. Tr. d. Nobil. 13. Lazio in comm. reip. rom. L. 1. c. 1.*

g *Vid. Dreſſan. d. Superior. Territ. concl. 6. lit E. Reinking. L. 1. cl. 4. c. 13. n. XI. Arniſæus d. Majeſt. L. 3. c. 4.*

h *L. 4. c. 4. n 25. ibique Albinus in Chron. Miſn.*

lo M. fuerit inſtitutus contra Vandalos; Miſnenſis, contra Bohemos; Badenſis, ad tuendum Rhenum; idem ſubjungit d. Marca orientali S. Oſtenrichiæ. Inde hodienum eſſe qvatuor præcipuos Imperii Marchiones colligit Matth. Stephani [i] videlicet Brandeburgenſem, Miſnenſem, Badenſem, & Moravienſem, qvorum poſtremus meritò hic obſervandus, tum qvod ratione Auſtriæ in limitibus Imperii ſitæ, tanqvam ſtrenuus S. R. Imperii Marchio & defenſor alios antecellat Imperator noſter: tum qvod itidem Auſtriacus ipſe ſit Moraviæ Marchio, inde qvantum accedat Eminentiæ Auſtriacorum, ex modo qvo ad hoſce devenerit (ampliſſimum Moraviæ olim regnum) explicando, facile apparebit.

Vid. Arniſ. d. Jur. Majeſt. L. 2. cap. 4. junct. Albino in Chron. Miſn. Tit. 9. p. 107. 117.

[i] d. Jdictione. L. 2. p. 1. c. 4 Petr. d. Andlo. Lib. 1. d. Imper. Rom. c. 15.

§. II. Qvoniam igitur teſte Dn. Conringio [k] Bohemiæ fortunam Moravia indubiè comitatur, vel ex hoc uno colligimus mutato Bohemiæ regno, priſtinam Moraviæ faciem qvondam fuiſſe immutatam, id qvod jam Caroli M. tempore evenit, dum, juſſu Arnolphi Cæſaris proſcripto ultimo Rege Zuentepolzo: à Polonis, Ungaris, aliisq; in partes diſcerptum hoc regnum videbatur, ac ea pars, qvæ tum ceſſit Poloniæ tanqvam veteris regni reliqviæ Moravia, dicebatur. Et hanc tamen poſtea Polonis ereptam, faventibus Cæſaribus, Bohemiæ vindicarunt Uldericus & Bzretislaus duces: ut ita Moravia iſta Bohemorum qvaſi provincia facta fuerit, & conſeqventer temporis tractu Auſtriacis ſubjecta, hocce qvidem modo. Ab initio ſtatim Duces provinciam hanc adminiſtrabant per Præfectos tantum, usqve ad Ulricum Ducem, qvi filium Bratislaum conſtituit primum Moraviæ Marchionem, cujus filius natu maximus ab Henrico IV. Cæſare confirmatus etiam fuit tanqvam Moraviæ Marchio. Poſtqvam extincta hæc eſt Marchionum familia: devoluta rurſus eſt ad Bohemiæ Reges, ex qvibus VVenceslaus denuo conſtituit primum Promarchionem Baronem d. Sterrenberg, à qvo, poſtqvam ipſum deniqve Bohemiæ Regnum imperio Auſtriacorum eſt ſubjectum, in hunc usqve diem Magiſtratus talis ſc. Promarchio ein Landes-Hauptmann (qui in civitate Brin ſedem ſuam habet) Moraviam adminiſtrat, non qvidem nomi-

[k] Tr. d. Finib. Imperii c. 29 p. 76. 6. add. Zeilerus.

ne

ne proprio, ſed Imperatoris noſtri, tanquam Regis Bohemiæ, cujus ut ſupra dictum: dignitatem regiam Auſtriaci noſtri ſuo jure nacti ſunt perpetuam. Cæterum quantum ex inſigni hoc Marchionatu creverit potentia Auſtriaca, vel ex tot civitatibus & oppidis, pagis item aliquot millibus, facilè colligas, & deprehendes in Provinciæ illius Scriptoribus, [l] quibus alia quæq; committentes: Unicum hic circa Burgovium attingimus: qvod illius ſc. conditio, potius ex hiſtoricorum [m] monumentis debeat devocari, priusquam poſſit Eminentiam Auſtriacam amplificare; in quo tamen negotio, ne vel limites excedamus, vel digniora prætereamus, ad hæc ipſa videtur deveniendum propius.

§. III. Eodem ferè tempore & jure, quo Moraviam: occuparunt etiam Bohemi Luſatiam vel Luſcatiam (uti Luſcatos vocat die Waldſaſſen Dreſſerus) quam à Luzizis ita dictam vult Albinus. [n] Primus eodem teſte, Machio illius fuit Gero: diviſa dein eſt in Superiorem ſ. Hexapolin & inferiorem: illa Juris Bohemici fuit usque ad annum Seculi X. Sexageſimum quintum, iſta itidem, utut antea principib. germanicis teneretur, ex Cæſaris tamen Henrici IV. beneficio Anno 1075 in præmium navatæ, variis bellis, operæ, Uratislao Bohemorum tum Regi in perpetuum Jus eſt tradita. Dehinc ad Marchiones Brandeburgenſes tota pervenit, qvamvis non diu retenta mox in Bohemicum corpus redierit ſub Johanne Rege, Seculo decimo quarto. Poſthæc tanquam acceſſorium, principale Moraviæ & Bohemiæ regnum, ſecuta Luſatia ceſſit potentiæ Auſtriacæ, pari quo Bohemia jure. Manſit etiam ſubjecta usque ad A.O.R. 1635 ubi frenos quaſi injecit Imperio Pacificatio Pragenſis liberè inita inter Ferdinand. II. Imperatorem & Saxoniæ Electorem, quippe cui Imperator in compenſationem ceſſit Luſatiam, ut adeo hodienum etiam utriusque Luſatiæ Marchio audiat Sereniſ. Elector Joh. Georgius I. An igitur abſolutè, an ſub pacto retrovenditionis facta hæc ceſſio ſit quæſitum memini. Id quidē conſtat, quod ob ſeptuaginta duas auri tonnas principali munifi-

[l] *Vid. Job. Dubravig Cyrillus Lupazius. junct. Luc. d. Linda in deſcript. orb. univ.*

[m] *Vid. VVittikindg in hiſt. Saxon. junct. Lazio. in comment. rer. Auſtr. it. Coſmograph. Münſteri.*

[n] *Vid. Albinus* in der Meiſniſchen Chronick. *it. Gerard. Mercator & alii.*

nificentia Imperatori ſuppeditatas, Elector Saxoniæ acqviſiverit hanc provinciam, [o] eamqve in rem ratione Exercitii Religionis, initam transactionem facere, edocent verba conſtitutæ Pacificationis Pragenſis §. Was der Röm. Käyſerl. Mayt. Erb-Königreichs Böheim ꝛc. 23. in fin. ibi. wegen der Laußnitz aber mit Ihrer Churfürſtl. Durchl. einen ſonderbaren Vertrag auffgerichtet/ mit deme es ſein Bewenden hat. Qvænam verò hujus transactionis propriè vis ſit, cum penetrare hac vice non licuerit, ſalvo utriusqve jure qvoad dictã qvidem Pacificationem id modo hic notandum: qvod in ipſis ejusdem verbis §. 91. & penult. ſubjungitur: Iſt demnach verwahrt worden/ und wird nochmahls hiermit klärlich bedingt/ daß der dißmals aus unumgänglicher Noth/ gebrauchte modus, dem H. R. Reich und deſſen Stände: oder ſonderlichen Gliedern/ ſonſten zu ewigen Tagen/ keine præjudicirliche Conſeqvenz oder beſchwerlichen Eingang bringen / und von iemand vor ein Exempel angezogen werden ſoll.

o *Vid. Dn. Limnæ Tom 4. Add. ad L. 5. J. P. c. 15. junct. ipſo Tx. Pacif. Pragenſ. ſubjunct. Receſſibq Imperii. add. & Theatr. Pacis. ibid. Inſtr. P. Cæſ. Suec art. 17. §. 4. p. m. 187.*

Cap. VII.

Comitatuum ortus inveſtigat.

ARGUMENTUM.

I. Comitum origo & differentia. 2. Habspurgenſis item comitatus explanatio & quomodo acceſſerit Tyrolis. Ffirdæ, Kiburgi, & Goritiæ ditio. addita. Q. Quænam inter comites ſit præ-Eminentia.

§. I.

Comites ſive à comitando, [a] qvod olim ſeqvebantur Magiſtratus, ſive à Comitatu (i. e. Principis aula, aut commiſſa Jdictione, [b] qvæ comitatus dicebatur) ita dicti germ. Graven: (d. cujus vocis etymologia [c] non conveniunt DD.) uti jam olim ſub Imperatoribus teſte Cujacio, [d] alii primi, alii ſecundi, qvidam inferioris etiam ordinis fuerant, pro ratione ſc. commiſſarum illis adminiſtrationum, v. g. Sacr. Palatii; [e] Sacr. largitionum: ita abuſu clanculum obrepente evenit poſtea, ut vel ſu-

a *L. 16. d. Offic. Aſſeſſor. L. 6. §. 1. ff. de pœn. L. 15. §. 16. ff. d. Injur. & fam.*

b *Guid. Pancirol. L. 5 Theſ. var Lect. c. 5. Matth. Steph. d. Jdict. L. 2. p. 1. c. 6. n. 107.*

c *Vid. Limn. L. 4. J. P. c. 4. n. 14. junct. Dn. Conr. Carpz. Inaugur. th. 24.*

d *Cujacius in d. un. C. Lib. 12. Tit 14.*

e *Vid. ipſi Tituli*

 per-

perbia, vel nimia ſimplicitate quilibet civitatum judex comitis titulum ſibi aſſignaret, quaſi & ipſe in comitatu principis fuiſſet ac lateri ejus adhæſiſſet. Reſtituta tamen iterum tractu temporis eſt priſtino ſplendori ſuo antiquiſſima hæc dignitas, quam in Hiſpania fuiſſe [f] primam aſſerit Cabed. Unde noſtris etiam temporibus, ratione illuſtris dignitatis, propriè loquendo Comes is eſt, qui de comitatu à Principe inveſtitus, aut alio Titulo juſto dignitatem Comitis nactus eſt, ideoq; Comitem eſſe regalis dignitatis, non minus quam Ducem eſſe [g] ait Reinking. Iſti jam dividuntur in eos, qui ſimplici voce Graven ſunt inſignes, & eos qui per compoſitionem dicuntur, Marggraven/ Pfaltzgraven/ Landgraven/ Burggraven/ de quibus [h] alibi. Qui ſimplex nomen Comitum retinent, ad eos referuntur Comites Landſaſſii [i] quales in Auſtria noſtra ſunt, Illuſtriſſ. Comites ab Hardegg &c. Domini mei clementiſſimi, ſunt item tales ſub domo Burgundica Comites Naſſoviæ: Sub Electore Brandeburgico Comites ab Hohenſtein, & Sved. &c. ab his differunt alii Comites imperii, qui licet dignitate principali ſint deſtituti, & ratione feudi tantum, quod ab inferioribus principibus tenent, eorum in feudalibus ſequantur forum, tamen etiã immediati ſunt, & ſolum Cæſarem vel Cameram agnoſcunt ſuperiorem, quales in Saxonia plures reperiuntur Comites, ut & in Haſſia Comites à VValdek. [k] quibus annumerantur Comites dicti alte Graven. uti comites d. Salm. & Comites ab Oldenburg, quorum aliquos, ſi ipſe Imperator ornet Titulo Der Hochgebohrnen unſer und des Reichs alten Graven/ principibus etiam iſti æquiparantur. Non tamen pro iisdem habentur, quos Principali dignitate eminentes vocamus Gefürſtete Graven/ quales quidem præter Marchiones, Landgravios, Burggravios, &c. inter Hennebergenſes, Mompelgardenſes, & Arimpergenſes, [m] noſtri ſunt Comites Habſpurgenſes, Tyrolenſes, Görzenſes, quos omnes cum repræſentent Archiduces Auſtriæ, quantum iſti comitatus etiam ad Auſtriacam faciant Eminentiam ut pateſiat, inſtituti ratio poſtulat.

§. II. Et comitatum quidem Habſpurgicum quod attinet,

Cod. a. 31. usque ad 36. junct. Cruſio in Tr. d. Jure Præ-Eminentiæ L. 4. c. 17. n. 2.

f *Deciſion. Luſitan. 105. n. 2, p. 2.*

g *Reinking. d. R. S. & E. L. 1. Cl. 4. c. 14. §. 9. & 24.*

h *Cruſio d. Tr. c. 17. n. 18. ſeq. add Lim. L. 4. J. P. c. 4. n. 80. & 9. Strauch. diſſ. Exoteric. XI th. 7. junct. Reinking d. loc.*

i *Vid. Conſtit. Carol. V d. Ao. 1529.* §. Graven *ad Nolden d. Nobil. c. 8. n. 194.*

k *Vid. Cruſius d. Jur. PræEminentia c. 17. n. 31. p. m. 718. ibiq. Beſoldus.*

l *Paurmeiſter. Q. 2. d. Jdict. c. 10 n. 21.*

m *R. J. d. Ao. 1576.* § Nach dem auch *junct. Nolden. d. L. n. 180.*

tinet, quoniam in primo ſtatim limine hujus diſſertationis eſt oſtenſum, antiquiorem hunc eſſe, quam ut ex immotis principiis ſuis deduci poſſit, hunc præter dicta ibidẽ, illud hic modo eſt addendũ, quod ſicut poſt lõgam rerum ſeriem Ergoviam, Turgoviam &c. ita etiam Comitatum Habspurgicum jure ſuo obtinuerit Rudolphus I. Imp. ex paterna ſcilicet hæreditatis diviſione, facta ab illius parente Alberto Sapiente cum fratre Rudolpho. [n] Ab eo igitur Habspurgico comitatu dicti Auſtriaci ſunt Comites Habspurgiæ, Principali Dignitate illuſtres, & tales manſiſſe videntur ad ea usque tempora, donec ex Marchionibus Duces facti, & præterea Auſtriæ ac Styriæ Ducatum ſunt adepti; tum enim, (ut fieri amant) mutata potentia & nomen fuit mutatum, ut adeo ob ditiones quidem audierit familia Auſtriaca, dignitatem tamen Principalem (qua olim jam erant præditi) Illuſtr. Comites Habspurgiæ hucusq; retinuerint. Hunc autem Titulum haud parum auget, itidem dignitate principali hodienum illuſtris Comitatus Tyrolenſis, tum non minus iſte matrimonii, quam donationis jure ad Auſtriacos etiam deveniſſe videtur jam circa A. C. 1360. operâ Rudolphi Habspurgii, Auſtriæ Ducis & filii Alberti Pii. Rudolphus namque defuncta uxore priore Catharina Caroli IV. Imp. filiâ, duxit Margaretham deformẽ, Henrici poſtremi Carinthiæ Ducis filiam, quæ duorum maritarum vidua, ex Ordinum Principalium decreto, omnem poſtea ditionem ſuam pleno jure tradidit cognatis proximis Rudolpho, Alberto, & Leopoldo probo Principibus Auſtriacis. [o] Sic ergo fiebat, ut translatus Tyrolis comitatus à Carolo Imp. ex Imperii beneficio Anno 1364. mox confirmatus, adeoque inauguratus Rudolphus Auſtriæ Dux, harum acceſſione ditionum Eminentiam Auſtriacorum ita amplificaverit, ut vel e re metallica ingentem æris ſummam Archiduces hodie quotannis percipere, communi comprobetur judicio. Nec vero minor virium hic eſt copia aut Urbium ſplendor, quod teſtatur celebre Tridentum & Oenipons Archiducum ſedes d. qu. omnibus plur. vid. ſcriptores. [p] Supereſt pro inſtituti ratione attingendus Comitatus Pfirdæ, Kyburg, & Go-

o *Vid. Gerard. d. Roo. de Reb. Auſtr. junct. Anonym. d. G. A.*

p *Luc. d. Linda. Deſc. orb. Univ. L. 4. p. 818. ibique allegat.*

Go-

Goritiæ d. qvibus, qvantum qvidem per antiqvitatem licet, iſtud obſervamus, qvod videlicet inter alios & Comitatum Kiburgi obtinuerit Rudolphus circa [q] A. 1140. idqve ex hæreditate diviſa cum fratre Alberto Sapiente, qvi fuit Pater Rudolphi Imperatoris. Et ſic nova inducta propagine, novum Habspurgenſes nacti ſunt Comitatum. Goritiam qvod attinet, cum ea æqve, ac aliæ qvædam Veteris Illyrici partes, ab Auſtriacis non modo affinitatis jure acqviſita: Verum & poſt varias inter hos & Venetos controverſias ſubortas, & ſub Maximil. I. ac Ferdin. II. denuo ſopitas [r] Eidem rurſus ſua reddita ſit tranqvillitas; facile patet, eodem etiam jure, qvo alias hujus regionis partes in cap. ſeqv. oſtendetur: hanc ipſam Auſtriacorum potentiam vel venerari vel confirmare. Cæterum ne vetuſtioribus plus juſto inhæreamus, occaſione horum Comitatuum, circa ipſam Comitum dignitatem antiqvam, diſqviri hic poſſet: **An non Comites dignitate antiquiores, præferendi ſint illis, qui noviſſime demum eam ſunt conſecuti.** Affirmativam videtur confirmare, qvod comites alii ſint dicti Alte Graven/ ad ſignificandam differentiam eorum, qvi noviter demum Comitis titulum ſunt adepti & vocantur tantum ſimpliciter Graven. id qvod aperte docet exemplum Comitum Ortenburgenſ. qvi longo immemorialiqve tempore in Comitum ordinem adſciti, alte Graven/ imò ältere Graven von Ortenburg voluerunt vocari, [s] ad differentiam ſcilicet conſtituendam inter eos, qvos d. eodem Comitatu inveſtivit Ferdinandus I. eosq; ſimpliciter tantum appellavit Graven. qvo nomine etiam ſubſcriptos deprehendimus in R. J. d. Anno 1570. & 1582. An vero hi ipſi omnes præcedant Barones [t] vid. Dd. paſſim.

[q] *Vid. Anonym. d. G. A. Q. 1. c. 25 p. 65.*

[r] *Vid. Luc. d. Linda, in rep. Veneta. & Ger. de Roo. junct. Cap 8 ſequ. §. 2. Pierre de Avity in deſcript. germ. p 869.*

Q.

[s] *Vid. Cruſius Tr. d. PræEminentia d. 4 c. 179. ibiq. 3 Beſold. P. 4. Conſ. 191. Q. 1. 5*

[t] *Beſold differe. d. Com. & Baron. n. 20. add. Cluten. Sillog. Rer quotid. concluſ 26 lit 1 it. Reinking l 4 15. 21. Pet. Gregor Syntagm. Jur. Cap. 20. n. 6, it. P. Heigius.*

Cap. VIII.

Landgraviatum declarat.

ARGUMENTUM.

1. Landgraviorum deſcriptio: additur quid de Alſatiæ Landgraviatû & aliis. 2. Imperatori noſtro aſſignatis Titulis ſit habendum cum annexa 3. Quæſtione præjudiciali: An Auſtriacorum hæc potentia aliis quicquam detrahat.

§. I.

§. I.

LAndgravii ſive judices provinciarum mediterranei, (Die da Richter eines Landes ſind/ das zwiſchen des Reichs Landen liegt) fuere olim, uti notat Dn. Struv. [a] qui provinciis aliis quam limitaneis, (ut eas defenderent) & ſimul officium judicis ſuſtinerent, erant præfecti. Hodie vero is proprie Landgravii Titulo decoratur, qui de Principatu aliquo Imperii Landgraviatus nomine veniente, eſt inveſtitus, indeque æqualem dignitatem, cum Ducibus, iis tribuit [b] Sixtinus, licet Comites & Barones quidam, nomen ſuum Landgraviorum, poſtponant Titulo Comitum, quia ſc. non Principum; ſed Comitum ordini tum adnumerantur, uti refert Limnæus [c] vom Graven zu Fürſtenberg/ Landgraven zu Barc. Nos ex eo præter alios hic Landgravios obſervamus eſſe quatuor: ut Landgravium Thuringiæ, Landgravium Haſſiæ, Landgravium Leuchtenburgenſem & deniq; horum non poſtremum Alſatiæ Landgravium, cujus Titulo cum non Argentinenſes ſolum Epiſcopi, ſed & Archiduces noſtri utantur, qva ratione & hic Domus Auſtriaca emineat, altius repetendum videtur. Mortuo igitur circa An. M CC. XVIII. ſine liberis poſthumo Alſatiæ Landgravio, cum ſtirpis eſſet Habspurgicæ, ut de ſucceſſione ex ſangvinis propinquitate litem dirimeret Comes Habspurgicus, Albertus Sapiens; cum Alberto Hohenbergico & Ludovico Comite Ottingenſi: unicam Alberti Comitis Hohenbergici filiam filio ſuo Adolpho impetravit uxorem, ut vel hoc pacto maxima etiam Alſatiæ pars, Hohenbergico comite decedente, Auſtriacis fuerit adjecta, cujus hodienum Landgraviæ Titulo utuntur, non obſtante inſtrumento Pacis, [d] confecto cum Rege Galliæ; multo minus jure Epiſcopi Argentoratenſis, quippe cui ſuam tantum Alſatiæ partem vendiderit Ludovicus Oettingenſis, reliqua Domino ſuo ſalva relicta.

§. II. Subſiſteret hic intra potentiæ ſuæ terminos placida Auſtriacorum regnandi facultas, niſi ultro ſupremos adhuc, iſtos, Marchia Sclavonica, agnoſceret Dominos. Dominus, quo ſenſu olim quove hodienum, Imperator vocatur, præter

[a] Syntagm. J. Feudal. cap. 3. Aphor. 7. n. 20. p. m. 106. ibique alleg.

[b] de Regalib. L. 1. c. 5. n. 119.

[c] L. 4. J. P c. 4. n. 79 Reſt. king. d R. S. E. L. 1. Cl. 4. c. 13. n. 26.

[d] Vid. Theatrum Pacis ſub Tit. hujus Inſtrum. Pac inter majeſt. Caeſ. & Reg. Gall. init. p. m. 240. & 259.

ea, quæ cum Scriptoribus adducit D. Stirnius, [e] vix eſt ut chartas oneres. De Marchia vero Sclavoniæ, hoc unum iis, quæ ſupra diximus, addendum: [f] quod totam eam Regionem aliquando Pannonii, mox Gothi tenuerint, donec noviſſimi Sclavi ſive ii Sclavonii, qui ad hanc noſtram ætatem manent, ſucceſſerint; in qua utut quondam Regnum conſtituerint, ab Hungaris tamen poſtea vectigales facti, & magnam partem à Turcico etiamnum imperio vexantur, ut non immeritò una cum Hungariæ Regno veneretur Imperatorem noſtrum, tanquàm verum Marchionem, eorum limites defendentem contra quosvis Barbarorum inſultus. Atque ut amplius in præſenti perſequamur Auſtriacorum potentiam extendit ea ſeſe etiam in Hiſtriam, ubi Marchiam Tarviſanam occupavit quondam: idque beneficio Caroli Cæſaris. Illam enim, cum vicinis aliquot locis, de quibus controverſia cum Venetis, interceſſerat patri, ita demum obtinuit Rudolphus IV. Auſtrius, Alberti II. maximus [g] natu filius. Quin & Tarviſium urbem magnificam Maximilianus I. Imperator, una cum aliis olim jam expugnavit in bello adverſo Venetos. Hodienum a. Imperator noſter ibidem tenet portam Naonis & Salinarum, ac plura alia, quæ à contraria plaga, Carniolam & Stiriam, ditiones Auſtriacas attingunt, adeoque Juris Auſtriaci dudum facta ſunt, ac ſervatis amicitiæ fœderumque Legibus cum Venetis, hucusq; defenduntur. Cum autem potentiam Auſtriacorum magis confirmare quam amplificare videantur, uberiorem harum deſcriptionem iis relinquimus, qui minutiſſimas quasvis ditionum partes ex Veterum Geographorum [h] Tabulis deduxerunt, aut etiam plura alia meritorum & honorum nomina Imperatoribus aſſignata explanarunt. In præſenti potius cum iis adhuc res erit, qui præter rem ſollicití, ipſam Auſtriacorum potentiam ſugillant, [i] ac vel imminuere eandem, vel ad invidiam usque exaggerare allaborant quaſi inferiores opprimere, pares vero aut ſuperiores in ſuas partes trahere conaretur Auſtriacorum potentia, cui dubio ſatisfieri poteſt vel in ſequenti hac Quæſtione:

III. Annon excreſcens hæc Auſtriacorum potentia

e D. Stirn. in Nomothesia Rom. Germ. p. m. 182.

f Vid. Cluverius L. 4. cap. 3. §. 2. junct. cap. 3. ſupr. & c. 6.

g Vid. Gerard. de Roo L. 3. Rer. Auſtr. p. 112.

h Vid. Geograph. particulares quoad Italiam & ditiones Venetas. junct. Cluverio & Stirnio loc. cit.

i Sunt illi Bodinus. Dav. Blondellus & qui omnium agmẽ infame ducit. H. a. L. de Rat. Stat. P. 2. c. 2. §. 1. & P. 3. c. 2.

Q.

tia

tia metuenda magis inferioribus: aut certè liberiorem imperii Electionem hoc nomine ſuæ domui Auſtriacæ arctius videatur adſtringere. In neutram harum ut deſcendas ſententiam contraria rerum argumenta ſatis ſvadent. Primo namque in imperio noſtro, Salus populi, Suprema quodammodo Lex eſt, & utilitas obedientium [k] juſti imperii finis, atque hoc rerum ſtatu non metuendum eſt illud, quod ipſa ſvadet publica tranquillitas: hæc enim exigit, ut in domo Auſtriaca reſideat Imperii aquila, quippe quæ ſola ſic fere & ferendis imperii oneribus par eſt, & alias crebram in eligendo mutationem (quæ cæteroquin omnis obnoxia ſatis eſt periculis) vitandam magis eſſe, quam metuendam potentiam, ſuo quondam exemplo docuit, Sic enim in partes abeuntes Imperii Proceres Ao. 1314. dum alii Ludovicum Bavarum Aquisgranæ: alii Bonnæ coronabant Fridericum, Auſtriæ Ducem, quam ingens ex liberiori hac electione motuque animorum ſit Subortum civile bellum: oſtendit Abbas [m] Urſpergenſ. Et quas turbas cædesve provocarit, præterito Alberto Auſtriaco, immatura Adolphi Naſſovii Electio eventus docuit: eo tandem dirigente divina providentia, ne, poſt ſurrogatum Albertum, conquaſſatum per diſſenſiones & Procerum æmulationes Imperium exteris amplius pateret incurſionibus, ſed ita ſub Auſtriacis, poſthac floreret, ut mutari ne ob res præclare geſtas an ob potentiam metui poſſit merito dubites. [n] Illud ſane extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, ne ſic quidem per annos pene multos radicatam porro ſucceſſionem hanc hæreditariam dici poſſe. Quippe quam adeo limitatam propoſuerunt Imperatori, Electores: ut eandem, inter alia mente tota teneatur abjurare, juxta [o] expreſſa Capitul. verba: Und inſonderheit ſollen und wollen wir uns keiner Succeſſion anmaſſen / unterwinden noch unterziehen oder darnach trachten / dieſelbe / auff uns ſelbſt / unſere Erben und Nachkommen oder auf iemand anderſt zu wenden. Hanc vero mentem juratam ſigillo & manu propria confirmatam, ullius arguere labis, quis, niſi cavillator plane impius auſit, aut negaverit, hoc

pacto

k *Ammi. Marcell. L. 30. junct. Cruſ. Tr. d. Præeminentia c. 16*

l *Gerard. d. Roo L. 18. Sleidanus d. Stat. Relig. Comment. L. 1. & 5.*

m *In Paralipom. rerum memorabil. p. 268 Conf. Aventinus Annal. Bojor. L. 7. p. 587. junct. Linker. in Theatro Hiſtor. Polit. Et Ruportum in Obj. hiſtor. ad Beſold.*

n *Conf. D. Cruſius de Jure Proedriæ L. 4. c. 6. n. 20 junct. Limn. L. 2. J. P. c. 3.*

o *Vid. Capitulatio Leopoldi Ao. 1658. art. 36. p. m. 37. junct. Goldaſto ſ. R.* Handel. *P. 5. fol. 63.*

pacto haut ſatis eſſe proſpectum Reip. Tanto minus proinde libero eligentium ſuffragio frenum injicit hæc potentia, quanto frequentius & Veteres Germanos vota libera ad certas aſtrinxiſſe familias conſtat ex illorum hiſtoriis, [p] qvos nervis Rerum gerendarum fuiſſe deſtitutos, non eſt probabile. Appoſite hac de re Goldaſtus [q] ait: Regna quæ deferuntur ſuffragiis, non propterea cenſentur hæreditaria, quod in his ſæpe filii parentibus ſuccedant, & prærogativam aliquam pro tempore & neceſſitate publica habeant, ut in noſtro Imperio, Domus Auſtriaca, qvoniam non ex vi ſucceſſionis ſed Electionis, admittuntur ad paterna regna. Idem ſentientes priores Imperii Proceres, cœperunt jam à Conradi I. tempore, digniſſimum. qvemque germanum ex proxima defuncti familia, minime præterire, id qvod confirmant Exempla Franconum, Saxonum, Svevorum. Cur igitur non eodem, quo ex alia familia in ſolium imperiale ſublimare alium poſſent, jure: & libera voluntate, Domui Auſtriacæ concrederent imperii gubernacula? ob ſingulares partim virtutes & bene merita, [r] partim propter eam ipſam potentiam, atque familiæ Auſtriacæ reditus, dignitati etiam Imperatoriæ ſuſtinendæ ſufficientes. Quibus omnibus, uti alios omnes fere ſuperant: ita vel à cunctis concedenda iis palma eſt, invidis etiam. His autem cum paucis multa repoſuerit Dn. [s] Limnæus: iſtius forte veſtigia ſi ſequaris, non deerunt, qvibus cum aliis, excipias Diſſentientiũ parata in noſtram ſententiam ſpicula. Ut vero interea non tam hic filum abrumpamus, quam ad ulteriores laudes muniamus viam, illud modo in præſenti non minus recte noſtris aptamus Germanis, quod de ſuis, Politicorum Princeps, Tacitus [t] aſſerit: Minori videlicet diſcrimine ſumi principem, quam quæri. Turbis enim ait hoc obſtaculum: cum alioquin magnis ac novis conatibus opportuni ſint rerum tranſitus. Manifeſtum proinde eſt pravas aliorum ſpes cohiberi, ſi ſucceſſor non ſit in incerto. Negas iſtud? aut certe Auſtriacæ potentiæ Eminentiam denegas! Crede Ligurino, Auguſtam hanc familiam decantanti h. m.

[p] *Vid. Tacitus de Morib. Germ. Lehmann. Chron. Spirenſ. L. 3. c. 3. add*

[q] *Goldaſt. de majoratu c. XI. L. 3, n. 3*

[r] *Vid. Dn. Cruſius d. Tr. cap. 17. n. 17. & 18. in f. Add. omnino D. Mich. Praun. Tr.* Was hat Oeſterreich bey Teutſchland gethan? *c. 5. & paſſim junct. Comitiolog. Ratisbon Ao. 1654. P. 1. Diſſert. 1.*

[s] *Limnæus L. 2. 3. P. c. 3. Et in annot. ad d. l. n. XI. it. ad Capit. Carol. V. p. 48 & 66.*

[t] *Tacit. Lib. 1. & XI. hiſt: ibique Politicor. Schola.*

Over-

O verè formoſa Domus, cui totus ab ortu
Solis ad occiduas mundus ſubſternitur auras:
Quam qui novit, amat: qui non novere, verentur;
Cujus inauditu confuſis mentibus hoſtes
Tabeſcunt, contraque nihil ſe poſſe fatentur.

CAP. IX.

Virtutes Auſtriacorum deprædicat.

ARGUMENTUM.

1. Prima Auſtriacorum Virtus eſt Pietas, cui innititur 2. Juſtitia, temperata Clementiâ. 3. Nec deeſt Majeſtas iſtis, conjunctâ tamen Humanitate. 4. Cauſa harum eſt Eruditio & laudabile cum Literatis commercium, inde. 5. Fructus & honeſta animi relaxatio; ex cujus occaſione Q. Quomodo ſeria Illuſtrium perſonarum ſtudia ſint inſtituenda.

§. I.

Firmatâ ſic ſatis Auſtriacorum Potentia circa acquirendi modum, quem in virtute poſitum eſſe vel maxime, diximus, ut ſingularia quædam deducamus uberius, e re erit. Auſtriacorum videlicet virtus fuit non minor, qvam qværere, Parta tueri. Idque licet factum non ſine invidia, eſt tamen ſupra invidiam. Ac ut omnium Virtutum Illorum baſin è ſublimiori principio petitam attingamus: Si unquam in aliis, hic certe ex pollice gigantem agnoſcimus: & primo horum deprædicamus ſingularem Religionis cultum. Nam, ſi quod fama olim publica tulit, verum: bono id omine ſignificavit jam Rudolphus Habſpurgicus, dum familia ſua pilos candidos in modum crucis [a] ab utero matris protraxiſſe, quin primus hic Imperator pro ſceptro crucem arripuiſſe in Inauguratione legitur; quam ſingulari etiam pietate crucem Chriſti venerabantur poſteri, oſtendit Gerard. de Roo [b] & alii. Ita enim Carolus V. Regnis & Imperiis ſe abdicare potuit, Zelum religionis deponere non potuit, [c] nec minus Fridericus Imp. religionis cauſa vivere [d], à po-

[a] *Felix Faber. Hiſt. Svevic. L. 1. c. 9.*
[b] *Gv. Lamormaini. Ægid. Coraſius Lipſ. L. 1. mon. Pol.*
[c] *Pont. Heuterus L. 9. D. Stirn. Tit. 12. §. 7. p. 344.*
[d] *Vid. Gerard. de Roo de Reb. Auſtr. paſſim.*

populo dicebant. Quid vero de Ferdinandis noſtris piis quibusvis, & Imperatorib. religioſiſſimis ſentiendum? certe quales fuerint in familia Auſtriaca omnes hujus ſangvinis principes; id vel unico ſuo Exemplo, quoad religionis zelum, orbi oſtendit, orbis Hiſpanicus: quanta item in Deum præditi ſint fiduciâ, cultu in SS. Euchariſtiam, erga Eccleſiaſticos, reverentiâ: cum non minus in vulgus notum ſit, quam à ſcriptoribus [e] comprobatum, vix eſt, ut moderna rerum experimenta illorum cumulemus teſtimonio.

§. II. Quin poſito pietatis fundamento, progredimur ad ſuperſtructas eidem excelſas Virtutum columnas; quibus ſalvis & ſubſiſtentibus, non poterat non incolumis in hunc diem perennare; Vero virtutum ſplendore illuſtris Domus Auſtriaca, cujus ornamenta ſi non pro dignitate enarrare omnia, omnium ſaltim loco, præcipua ex inſtituti ratione licebit venerari. Ideirco primam hujus Domus columnam ponimus Juſtitiæ, cui innixus ipſe, Rudolphus I. Habsp. (ſat clarum familiæ ſuæ fulcrum) ſucceſſoribus præluxit proprio ſtatim exemplo, quod probavit in Executione flammæ adjudicati Pſeudo Friderici. d. qv. plur. G. d. Roo. Ingenioſum juſtitiæ adminiſtratæ argumentum de Eodem, adde ex Lipſio [f] Quid de hac Virtute ſenſerit Ferdinandus I. ſatis docet in illius ore & more poſitum Symbolum. Fiat Juſtitia & pereat mundus, Quam optime autem optimi Parentis, gl. m. filius, veſtigia preſſerit, elucet ex causâ, qua cadebat ſecundum cæſaris juſte judicantis ſententiam, Princeps ab Imperatore alias inter amiciſſimos etiam habitus, [g] teſte Lamorm. Quoniam tamen conſilia leniora, [h] ſæpe ſunt meliora: hinc inſigne Dignitatis Imperatoriæ alterum ornamentum, & Juſtitiæ temperamentum, deprehendimus ſtatim, rurſus in Rudolpho Habspurgico: qui quod in exordio imperii, mutatis moribus, factus eſſet clementior, reprehenſus à ſuis, ſucceſſorum quaſi nomine reſpondit: [i] Immitem fuiſſe me aliquando pœnituit, lenem & placabilem, nunquam. Famæ quam pœnæ amantior fuit Fridericus III. Imp. Et quibus non ignovit Carolus V. exteris etiam, quos enarrare omnes eſſet

[e] Vid. Pont. Heuterus Cuſpinianus: Vernulejus. Gv. Lamormaini. J. Lipſius, mon. Pol 1. c. 4. Steph. Pighius in Herc. Prod. Guillimannus de Orig. Habspurg. fol. 305.

[f] In Monit. Polit. c. 9. mon. 3 p. m. 154.

[g] Gv. Lamormaini in Vita Ferdin. II

[h] Conf. J. Lipſius 3. Pol 4. ibique alleg. Exempl.

[i] Vid. Sylvig Lib. 2. hic. Gerard. d. Roo de Reb. Auſtr. junct. Lipſ. in Mon. Pol.

ſet forte poſt Homerum Iliada ſcribere. [k] Nec eſt quod frivole objiciat quis, duriores actus & res ſtrenue geſtas Imperatoris Ferdinandi II. In contrarium enim vel unicum reponi poſſet inſignis quoddam Clementiæ ſpecimen qvod noſtris temporibus experiebatur etiamnum ab Imperatore ſuo, & Domino gratioſiſſ. VVallenſteinius ille, inuſitatæ fortunæ Exemplar, qui, felici rerum ſucceſſu qvaſi inebriatus, cum omnia haberet, nihil vero eſſet, qvin concupiſceret: tanta tamen in hominem clementiæ Imperatoriæ exiit ſcintilla Ferdin. II, ut ſi cæteri Imperatorem eum eſſe non meminiſſent, ipſe oblitūrus crederetur; uti more ſuo, acute non minus, quā conciſe mentem ſuam, non vero nomen prodit qvidam Epitomator rerum Germanic. Adeo Eminentiam Auſtriacorum commendat Clementia, Iſtius Domûs Virtus qs domeſtica.

[k] *Vid. Chytræum in Orat. fun. Pontus Heuterus Lib. XI. ſequ.*

§. III. Non tamen ea eſt, penes hoſce, ratio Clementiæ, ut Majeſtati Imperantium detrahat qvicqvam, qvin potius ſi locum habet, qvod ex hiſtoricis deducit Schola Politicorum, [m] ut majeſtas Imperantium illa ipſa ſit extrema qvaſi & ſacra, qvod ajunt, in rebus dubiis Principum anchora: tum ſane Auſtriacorum etiam Majeſtatem tacitam qvandam vim agentibus inferre, dubitari vix poterit. Teſtor Albertum pium, principem Belgarum Auſtriacum, in cujus conſpectum Bruxellam; tanqvam Legatus ab Henrico IV. Galliarum Rege ideo miſſus, Illuſtri qvidam genere natus, quod gloriari ſolebat, Neſcire animum ſuum cujusqvam Monarchæ oculos timere; [n] ubi tamen comparuit vix tum principem allocutus erat, jam vox faucibus hæſit & mox turbato animo, ſermo principis altius animum illius demerſit in ſilentium. Simile qvid memoriæ proditum eſt de Maximiliano I. cujus habitus, motus temperatus, verborum pondera, & univerſa corporis lineamenta nonniſi regalem & Imperatoriam dignitatem referebant. Teſte inter alios Heutero l. c. Quædam videlicet fulgura à majeſtate ſunt & terrent, proinde timeri volunt: qvia hæc eſt cuſtodia majeſtatis; Sed timeri moderate, qvæ cuſtodia eſt ſubditorum benevolentiæ. Et hanc ſingulari ſua Humanitate non minus, qvam clementia conſervaſſe ſa-

[m] *Vid. J. Lipſius l. Fol. 16. § 2. ibique Cl. Dn. M. VVonna In Prælectionibus Politic. ſuis Lipſianis. juncto Val. Max. L. 10. De J. Cæſare Sveton. c. 10. Tacitus 1. ann. 42 Marcellin L. 27*

[n] *Vid. Anonymus d. Gente Auſtriac. P. III. Cap. 13.*

tis probant conſignatæ à Scriptoribus o res geſtæ Rudolphi I. Caroli V. Ferdin. II. Maximiliani II. ſine quibus nulla hæc pagina, quia uti nullæ aliæ, ita nec Humanitatis Virtus iis defuit, nec ſucceſſoribus. Quodſi jam rationem quæras aureæ hujus mediocritatis & totius virtuoſè adminiſtrati Imperii aut ſervatæ Eminentiæ, modum: Non eſt, credo, ullum fulgentius lumen, qvam in majeſtatis faſtigio reſplendens Eruditio: qva rexiſſe faſces ſuos teſtatur abunde Maximilianorum facundia, nec minus una Caroli V. inſignis multarum Lingvarum peritia p & quid de Ferdinando Fratre, aut Friderico Imperatore tot Conſtitutionum Imperialium q ſimul auctore. Nulli qvidem ſua deſunt encomia, omnia tamen majoris admirationis exemplo, conſpeximus in eo, cujus Majeſtas non ita pridem imperium illuſtravit, Ferdinando videl. III. gl. mem. qvi nihil ignoraverat, qvia didicerat omnia, & qva erat ingenii præſtantia, omnib. ſapientiæ ſubſidiis nitebatur, quibus anteceſſoribus ornamentum & inſigne ſucceſſoribus dedit exemplum. Factum hinc eſt, ut non favore ſolum, ſed & commercio ſuo dignos judicaverint Literatos omnes, qvoscunq; præclara ingenii facinora commendarunt, nec in hoc ipſo Auguſto palmam conceſſerit Maximilianus I. dum viros doctiſſimos, r ſuis etiam ſumtibus, ut à latere ſibi eſſent, aluit: Et ipſe Judicii Cameralis hodierni Autor extitit, cujus adeo æmulus fuiſſe cenſetur Maximilian. II. ut non tam aulam, qvam in aula quandam habuerit academiam: hoc eſt clariſſimorum Virorum doctiſſimam phalangem. Nobilitati par doctrina, adeo pluris ſæpius apud Ferdinandos æſtimabatur, ut nec ætas aliorũ nec obſequiorum diuturnitas prævaleret, ubi doctrinæ teſtimonium, Academiarum judicio oſtendebatur: qvin ut oſtenderet literatorum patrocinium ſibi eſſe commendatum, librum inſignibus ſuis appingi curaſſe ferunt Sacratiſſ. Ferdinandum I. Utrorumque a. mortuorum non minus, qvam qvi viverent, Dd. commercio, non præter rem fuiſſe uſos, teſtantur ſatis tam ſapienter, quam facete aliqvando ſententiæ ab iisdem auditæ: Sic enim Maximilianus Imperator, obviam facto cuidam inanis gloriæ cupido, ut generis obſcuritatem

o *Pont. Heuter. L. 11. Rer. Auſt. 3. Lipſ. L. 1. Mon. Pol Gemrd. de Roo & Cuſpintanus de Reb. Auſtr.*

p *Vid. Pont. Heuterus, Cuſpinianus & alii.*

q *Quas refert cum allegatis Dn. Stirn. in Nomoteſ. Rom-Germ. Tit. 12.*

r *Vid. Anonym. de G. A Part. 3. c. 17. Confer. Præ-Nobiliſſ. & Conſultiſſ. Dn. J. A. Gerard. in Tr. de Judicio Aul. & Cameral.*

tatem nobilitate efficeret clariorem, propter oblata Imperatori aliquot aureorum millia; reprehenſurus ævi vanitatem, Ditare ait, Te ipſe poſſum, ſed nobilem efficere, Sola te Virtus poteſt. Theſaurorum ſuorum jacturam facere, ſ qvam neſcire literas maluit Idem. Qvam facete autem Rudolphus Habspurgic. qvondam exceperit Legatos, opus ſuum urgentes, ex reſoluta iis propoſita Quæſtione, eamqve placida dimiſſione inſecuta, perſpicies, t Similia repoſuit Uladislao Ungariæ Regi, Venetorum item Legatis, neconon Mendico illi Maximilianus Imperator, pro ea qva non modo erat gravitate ad Imperiorum Regimen; ſed & ingenii hilaritate ad conciliandam omnium benevolentiam. Illuſtrant namqve majeſtatem aliqvando & terrorem ſvavitate mitigant facetiæ, cum in iis honeſtas eſt & acumen, qvale qvidem hauſerunt ex literis Auſtriaci. Deniqve, non deſunt, qvibus revocatum ab arduis Imperii curis, animum, & ingenii vires exercerent, honeſtis exercitiis: cum namq; non minor poſt otia qvoqve ſit virtus: in ipſo otio invenerunt negotium, qvod uti in hunc usqve diem eſt freqventiſſimum, nec Viris indignum; ita ſi qvi unqvam alii, certe Principes Auſtriaci, præ aliis, id relaxationis genus ſuum eſſe duxerunt, qvod Venationis appellamus. Voluptate enim qvavis ſe carere poſſe, venatione non u poſſe: primus dixerat Albertus II. Imperator, & confirmavit, ni fallor, horrendis Scopulis gradus inferendo, Maximilianus I. etiam cum vitæ diſcrimine, x nec, (credo, ut divina erga eum eluceret benignitas,) ſine miraculo. Secuti hunc ſunt Succeſſores hucusqve fere omnes, ſed rectiori moderamine, conatuqve laudabili: qvippe qvot artis militaris hocce qvaſi rudimentum, nec omni ſuo in rep. uſu deſtituatur. Cæterum Horum jam occaſione Exercitiorum, de arduo negotiorum genere poſſet Qr. Q.

Quibusnam E ſtudiis ad ſeria reip. negotia illuſtriũ filiorum præparanda ſint ingenia? Reſpondeo cum Livio y Artibus, qvibus ingenia ad magnum fortunæ cultum excitantur; hoc eſt: qvæ viris excelſis digna, ad Reip. admini-

ſ *Vid. Chron. Imper. Germ.*

t *Vid. Heuterus L. 4. Rer. Burggr. junct. H. Borl. d. b. Imp. Coroſ. d. Fact. memor.*

u *Vid. Cuſpinianus de Reb. Auſtr.*

x *Vid. Steph. Pigbius in Hercul. Prodicio.*

y *Liv. Hiſt. Rom. L. 1. c. 39. n. 5. add. Lampridius in Vit. Alex. Severi c. 14. junct. Virgl. Æneid. 5. 849.*

miniſtrationem & uſum transferri qveant, juxta illud: Tu regere imperio populos, Romane memento. Eſt enim Respublica nomen veneratione ſanctum, propoſito illuſtre, [z] tractatu arduum. Abſit ergo, otioſis ſubtilitatum gyris conſtringamus Generoſiſſ. pectora, qvin potius iſta Auſtriacorum Exempla & præcepta ſeqvantur eorum; qvi vitæ didicerunt, non ſcholæ.

z Vid. Cl. Bœclerus ad Tacit. 4. Hiſtor. 5. junct. Seneca Exempl. 106. § 45 48. 113.

Cap. X.

Gloriam Auſtriacorum continuat.

ARGUMENTUM.

I. Confirmatur Eminentia Auſtriacorum, circa quos occurrunt adhuc ſingularia quædam notatu digna v.g. matrimonia & alia quæ 2. enumerantur à num. 2. usque ad 10, ubi 3. ſingulare quid obſervandum eſt, quoad imperium Turcicum de cujus interitu inſtituitur Quæſtio. Eam 4. cum tota materia claudit votum & quædam animadverſio.

§. I.

NOn me latet, nec latere (niſi in Auguſtiſſ. Domo Auſtriaca plane hoſpitem) qvenqvam poteſt, majora adhuc virtutum Auſtriacarum eſſe præmia ac Elogia, qvam vel hæc pagella capere, vel omnia è ſuis principiis repetere (delibare enim, qvam penetrare cuncta magis potui) inſtituti ratio ſinat. Conſtat, in qvantum excreverit auguſtiſſima Auſtriacorum familia, ut ne in Germania qvidem ſubſiſtens, diffuderit ſe [a] in Belgium, Italiam, Indiam, qvin ipſum orbis compendium Hiſpaniam, qvas ditiones pene multas, ſi eo, qvo poſſet, immoto ſucceſſionis jure perſeqveretur, vix eſſet, qvem cum hiſce unqvam componas. Enimvero qvo ad virtutem acceſſerunt propius, eo longius inanis auram gloriæ fugiebant, & vel ſolo ſucceſſionis Titulo, qvi ex matrimoniis promanavit, contenti, maluerunt rectius ſua regnare, qvam Regna amplificare. Iſtorum igitur exemplo, ne modum excedamus, ad metam properantes hunc per matrimonia acqvirendi modum, uti in ſe laudabilem,

a Vid. Anonym. d. Gente Auſtriaca. P. II. cap. 15. 16. 17. ſequ.

lem; ita nunqvam ſatis laudati Dni Limnæi [b] calculo comprobamus, & illuſtramus; quando, Si verum, inquit, amamus dicere: Modus acquirendi regna &provincias per matrimonium tanto eſt humanior, modis illis, qui fiunt per lanceam ferro armatam: quanto baſia verberibus ſvaviora, quanto amor violentia: & liberorum procreatio eſt præſtantior hominum ſtrage. Qua ſententiâ non minus vera, quam egregia, Eminentiæ Auſtriacæ laudes priusquam finiam: adhuc ſingularia qvædam, ad ejusdem ornamentum facientia, ſicco hic præterire pede, nefas duco. Ex dictis igitur notabilia rerum argumenta merito obſerv. I. Quæ Auſtriacorum Eminentiam ad tot opes perduxit, eſt Divum hominumque faventia, & inde ſecuta matrimoniorum felicitas: quod poſterius quidem fluxit à ſummo primo; ſecus quam vult Silhon, [c] Auſtriacos non tam ex pietate aut fortuna, qvam meris matrimoniis creviſſe; cum tamen ipſi Galliæ Regi, amplificandi etiam regnum per matrimonia, omnino potius fortuna, quam voluntas defuerit, quod ipſum fatetur Turqueto. [d] Fœcunda idcirco (ſed non reſpectu fati & pietatis ſuæ ſupr. celebratæ) Auſtriacorum matrimonia fuerunt, ex quibus quinquaginta ſeptem maſculos principes, vel Cæſares, vel Reges, vel Archiduces, Duces aut Comites eſſe productos, & hoc ipſo Habspurgicorum Eminentiam auctam, notat Joh. [e] Cuſpinianus. Hinc celebretur licet à Plinio, Lacedæmonia Lampedo, tanquam Regis filia, Regis uxor, Regis mater; ſuperat tamen Lacænam illam Lampedona, ſtupendum fœmininæ felicitatis & nobilitatis miraculum inter Auſtriacos, Eliſabetha Caſimiri Poloniæ regis, quæ Imperat. Cæſaris ac Regis filia, & neptis Regis ſoror, Regis uxor, Regum quatuor mater, ac denique Regis avia fuit, qua id ratione factum refert ex Pighio [f] in Hercule Prodicio Dn. Limnæus.

b Vid. Annotat. ad Capit. Carol. V. ſoç. Ertz-Hertzog. n. 4. p. m. 66. Ejusd. Limn.

c In Prima Partè du miniſtre d'Eſtat Livr. 3. diſcours 4. p. 545.

d Liv. 7. de la Monarchie Ariſtodemocratique p. 439. jung. Dn. Limn. Tom. 4. J. P. ad L. 5. c. 2.

e ap. Limn. L. 5. J. P. c. 2. n. 6.

f L. 5. c. 2. J. P. n. 6.

§. II. Ipſa rerum mater natura, natos mox in hanc lucem Auſtriacos, raris quibusdam exterioribus notis, tanquam genuinis ac propriis, inſignivit præ aliis, ex quibus unum illud notatu non indignum, quod maſculi ferè omnes men-

to naſcantur prominentiori, cujus tamen forma vultum Principis gravi quadam majeſtate decorat. Nam & Ariſtoteles g cum Phyſiognomicis volunt, mentum prolixius, oſtendere, hominem pium, placidum, conſtantem; quæ virtutes uti ſunt eximiæ, ita Auſtriacos non parum commendant, quippe qui plerumque (quod præfiſcine dixerim) perhibeantur eſſe pii, blandi, moratiores, & frontis non minus apertæ, quam elegantis formæ. Credo id fieri, quôd ipſa etiam III. Cœli clementia & benignior aura, nonniſi placidos alat incolas. Quantis enim hic Archiducatus Auſtriæ, præ aliis germaniæ provinciis fere omnibus, ſit cúmulatè inſtructus, vel ex eo patet, quod jam olim exterorum calculo fuerit ſine pari & non abs re Paradyſus dictus: h præter crocum enim, quem copia ſingulari fert fragantiſſimum, pluribus ſe ipſam commendat feliciſſima ſoli fertilitas, & loqvuntur præterea Idem, tot præclara ibidem rerum monumenta, magnificaque palatia, ex quibus unica turris Tempii ad S. Stephan.) ſi non omnium in Germania celſiſſima, certe eſt fortiſſima. Sed ut in ipſa Auſtriacorum familia ſubſiſtamus, id quoque IV. Obſervandum venit, quod ab exiguis hancce initiis profectam, nihilominus illud jam felicitatis culmen attigiſſe videamus, ut intra XV. annorum ſpatium ceu teſtatur C. Ens, i adeo facta ſit illuſtriſſima, ut omnibus, excepta Scotia, in orbe Chriſtiano, Regnis, vel Reges dederit vel reginas. Ex his omnibus autem V. Præcipuos modo attingimus, Hiſpaniæ Reges, qui ex familia Auſtriaca promanantes, duplicem hujus Domus lineam conſtituerunt, k Burgundicam in Carolo V. & Ferdinand. I. quæ Auſtriaca propriè dicitur: hæc ipſa iterum vel Ferdinandina dicitur vel Leopoldina, quæ hodienum ſupereſt. VI. Obſervandum hic & illud eſt: ſub iſtius protectione contineri Epiſcopatum Tridentinum & Brixienſem: cujus vices ſuſtinet in Comitiis Domus Auſtriaca. d. quo negotio variè actum eſt, tum in Receſſ. Imperii tum in Comitiis Ratisbon. l ubi modus conventionis proponitur. VII. Subjungimus ſingularia Auſtriacorum inſignia, & quidem à Veteribus, Habſpurgicorum, diverſa: Muris enim Aconis à Leopoldo Auſtriaco ſuperatis, album, quo indutus

g *Ariſtoteles & Palemon. declamator Loxus medicus uti allegat Limnæ. L. 5. J. P. c. 2.*

h *Lanſius in orat. pro Germania p. m. 61. 63. ibiq; allegati junct. Dn. M.* Beyer *in Geogr. Jenenſ. c. 27. p. m. 482. Ad Luc. d. Linda. Deſcript. Orb. L. 6. p. 118. Mynſter. L. 3. Coſmogr.*

i *Caſp. Ens. Lib. 1. Theſ. Pol. Apoteleſm. 6. p. 147.*

k *Vid. H. Hermes. In Faſc. J. P. c. 28. n. 6. Dn. Rittershuſius in Tab. Genealog. lit. A. junct. Limn. Lib. 5. J. P. c. 2.*

l R. A. zu Augſpurg. *d. A. 1548.* §. nach dem auch in der etc.

erat,

erat, paludamentum, totum mox ſangvine tinctum apparuit, demta ea parte, quæ tegebatur balthico; undè poſthæc area rubricans, cum faſcia ſive ſegmento albo, mediam dirimente, Auſtriacorum inſigne factum eſt, concedente illud Henr. VII. Imperatore, ut refert Lipſius m VIII. Ex omnibus autem præclaris rerum argumentis illud nec ſine piaculo prætereris, nec ſine laude monueris, quod ex omnibus, quos numero XV orbi Chriſtiano hucusque affulſiſſe Imperatores deprehendimus auſtriacos: nullus tamen unquam extiterit Tyrannus. n Sed ne appetiiſſe quidem, Europæ Monarchiam quandam, ex dictis & factis auſtriacorum ap. Hiſtoricos o conſignatis facilè colligitur. Ut adeo fruſtra ſit aliorum cura & hac d. re ſuſpicio; à quorum calamis, uti non dependet Auſtriacorum gloria: ita iſtis etiamnum cum Rege illo Macedonico potius videtur: Regium eſſe benefacere, & malè audire. Confirmant abunde eorum IX. notanda merita, ob eaque non ſine gratia largiter ab Imperatoribus iisdem conceſſa Privilegia, in quibus jam revocandis, eo ſumus breviores, quo latius tum præmiſſa ſunt, tum fuſius exhibita in ipſis privilegiorum tabulis videri poſſunt. p

§. III. Id v. unum notatu dignum omitti hic omnino nequit, quod deniq; hæc familia 10. Singulari fato, una cũ Ottomannica Turcarũ familia, circa idem ferè Tempus A. ſc. 1303. creſcere ac innoteſcere cæperit, qs. ad reprimendos inſultus Turcicos nata Domus Auſtriacorum potentiſſima, quippe quæ ſola ferè ferendis Turcarum turbis bellicis, haut impar, à quibusvis earum, (ſi velit) periculis, nos liberare, ac pro ea, quâ pollet gloria & ſitus ratione, pacem conſervare valeat. Id quod præſtitiſſe etiam non Anteceſſores ſolum, ſed (ut in compendium facta traham) eorum virtutes itidem refulſiſſe in Leopoldo ſecundo glorioſo, moderna docent tempora, dum eidem omnibus cum Chriſtiani orbis principibus arcta erat amicitia: cum Turcis verò tantum acre bellum fuiſſe probavit nuper fracta armorum noſtrorum conſtantia, Turcarum, ut ſolent, irruentium rabies; quâ ſopitâ, victrices aquilas ad templum pacis remeantes, non modo læti jam conſpicimus, ſed & unum hoc votum addimus, ut magis magisque

m *In Centuria Epiſt. ſing. ad Germ. & Gall. Epiſt. 36.*

n *Vid. Kirchnerus in Morbillerio L. 2. c. 5 n. 83.*

o *Quicciardinus Hiſtor. Ital. L. 8. ad P. Heut. L. 7. c. 6. ſeq. L. XI. c. 1. & alii.*

p *Vid. ſupr. h. Diſcurſ. cap. 3. §. 2. 4. ſeq.*

has creſcere, & ſidus Turcicum porro decreſcere ſinat DEus O. M. **Annon autem Turcarum imperium ante finem mundi adhuc penitus ſit interiturum.** Agitata inter DD. eſt Quæſtio, cujus argumento, cum nec difficilius quicquam ſit, nec varietete rerum judiciorumque fœcundius, ſatis eſſe duco cum D. Stirnio q L.B. ad iſtius controverſiæ Autores remittere, quam ullos divinæ providentiæ terminos ponere.

§. IV. Id potius agamus, & pro incolumitate Reip. Chriſtianæ, ejusq; capitis, (à quo telam hanc orſi ſumus) Imperatoris noſtri, fortunâ, illud exoptemus, ut Auguſto melior, Trajano felicior Leopoldus, audiat non minus poſthæc Imperator pacificus, quam devictis hoſtibus Triumphator magnificus. Interea faceſſant, qui cornicum configere & Auſtriacorum Eminentiam taxare non erubeſcunt. Quartum jam Seculum eſt, à quo, Rudolpho Habspurgico in Imperatorem electo, nidum ſibi in domo Auſtriaca delegit, glorioſa Imperii aquila; à quo eodem felicibus alis per ſucceſſores transportavit faſces in noſtrum Leopoldum: hujus æque humeris benè ſedet imperium, cui uti terras, ita cum terris reliquit Ferdinandus IV. ter felix & beatus. Quod ſi verò quandoque mortalium conatibus, haut reſpondeat eventus, tenendum etiam eſt: quod Imperator fortunam ſperare poſſit, præſtare non poſſit; nihilominus tamen ut verbo rei colophonem imponamus: Auſtriacus eſt: (ſat dictum) Et hoc tantum major quo melior! Intelligamus igitur bona noſtra, dignosque nos illius uſu probemus. Cæterum, ne quid amplius dare videar auribus eorum, quorum virtus inter vivos ſe ipſam commendat: hic ſubſiſto. Ac quodſi allata etiam, pro pietate magis, quam dignitate attigero, ut non minus, Scriptoribus, s (quorum in præſenti quidem penuria, fidem ſecutus ſum) quam ingenii conatibus, illud imputet L.B. iterum atque iterum expeto.

q D. Stirn. Nomotheſ. Rom. Germ. Tit. 12. §. 14. n. 3. p. 371. ibiq; alleg. Bernegger. ad Tac. Q. 153. add. Dn. Forſtner. in not. Pol. ad Tacit. annal. L. 4. p. 356. H. im Hof. *Singul. mon. Pol. c. 46. ſeq.*

r Vid. Plinius ap. Rupert. in obſerv. Hiſtor. ad Beſold. in f. lib. p. 270.

s Vid latius de hac materia Rerum Auſtr. Scriptor. §. 9. Matth. Felſerus. G. d. Roo. Fr. Guillimannus P. Heuterus Cuſpinianus. Et Geographi partic.

ADJECTANEA

EX

Jure Privato.

I. Doctoralis Dignitas non liberat à patria poteſtate. *arg.* §. *4. Inſtit. qu. mod. pp. ſolv.*

II. Homine, ab alio lethali vulnere percuſſo, ab alio poſtea examinato, prior non tenetur, quaſi occiderit, ſed quaſi vulneravit. *L. 11.* §. *3. L. 15.* §. *1.* π. *ad L. Aquil.*

III. Pacto de Retrovendendo non præſcribitur de J. Civili. *per L. 31.* §. *22. de Edilit. Edict. junct. L. 2. C. de pact.*

IV. Sponſalia clandeſtina invitis parentibus contracta, ſi acceſſerit copula carnis, aut benedictio ſacerdotalis reſcindi non debent. *arg. l. 8.* π. *de his. qui ſui vel al. jur. L. 16.* §. *2. de Rit. nupt. junct. cap. cum cauſa extr. de raptor.*

V. Fictiones Juris Civilis optimo jure defendi poſſunt. *per L. 19. pr.* π. *de Captiv. & poſtlimin. revers.*

VI. Exhæredatio tollit ſuitatem. *per L. 1.* §. *10.* π. *de ſuis & Legit. L. 1.* §. *5. de Conjung. cum Emanc. Liber. & poſthum. hered. inſtituend.*

VII. Dominium ſine poſſeſſione acquiri nequit. *per L. 1. de acquir. poſſ. L. 2. 8. C. de action. emt. L. 66. de Legat. 2.*

VIII. Re à pluribus furto ſublata, quam tollere ſinguli non potuiſſent, furti tenentur univerſi. *per L. 5.* π. *in f. ad L. Aquil. L. 21.* §. *ult.* π. *de furt.*

IX. Res Eccleſiaſticæ à collectis regulariter ſunt immunes. *per L. 5. Cod. de SS. Eccleſ.*

X. Novellas in fonte potius Græcas eſſe quam Latinas, eſt veriſimilius, unde ſuſpectæ ſunt, quæ ſolum latinè extant Novellæ. *v. g. 11. 17. 23. 62. 143.*

AUgurium felix RAIDI Doctiſſime poſcis?
AUSTRIACUM qui Jura DUCUM, cum ſtemmatis Ortu
Hic profers; *Avibus* geritur res cœpta *Secundis*:
Qui ſed & AUSTRIACO ſub culmine REGIUS ALES,
Orbis & Auſonii cuſtodit ſceptra, volatum
Ad ſummos placidè tandem concedet honores,
Securam præbens alis victricibus umbram.

Honoris & benev. c. f.

PRÆSES.

MAgnus Heroas, (*quos ſuſcipit orbis Uterque,*
Quos debellatus formidat Turca) potentesque
Auſtriacos grandi Divorum à ſangvine natos
Laudas, illorum *magmenta excelſa*, parata.
Maxima Jura manu ſubtili pandis, alacre
Ingenium *rurſus* prodis plaudente catervâ
Doctâ, quod meritò nunc noſter *Sala* celebrat
Mox capiti ſpondens immortaleis Amaranthos.

Ita Præ Eximio Dno. Autori amicâ m. & m. animitùs gratulat.

JOHANN-VOLK. Bechmann/ D. & Pandect. Prof. Publ.

AUſtriacæ dum jura Domus non obvia monſtras
Præ cunctis ea quis valeat Regionibus Orbis;
Quis non ingenii? quis non virtutis, Amice,
Munera magna Tuæ miretur? docta, Lycæi,
Pulpita, cum doctus conſcendis & ipſa ſtupeſcunt
Materiæ iſtius claro ſplendore movente.
Patria gaudebit, geminosque rependet honores
Dum ſibi quæ decori Te nunc audere videbit:
Det Deus ut ſemper capias hinc præmia digna,
Et tua per gratos metat ex Te, patria fructus.

Sic Virtuti ac eruditioni ex aſſcitate Dni. Reſpondentis, Amici atque Commilitonis ſui hactenus dulciſſimi exoptatiſſimi, litare, ſuique memoriam benivolam ipſi commendare voluit

ADAMUS CORTREJUS, J. U. D.

IOTECA NA... ROMA...